Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

UTERI MOLAM,

QUAM

SUB DIVINI TERQUE SANCTI NUMINIS AUSPICIIS,

IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

EX DECRETO ET AUCTORITATE

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES

ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE LEGITIMEQUE CAPESSENDI,

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

WOLFFGANGUS GEORGIUS PARROT,

Mœno-Francofurtensis.

Ad D. x. April. A. R. S. M DCC XXXIII.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,

TYPIS, JOHANNIS HEINRICI HEITZII.

SACRI ROMANI IMPERII

LIBERÆ AC PERILLVSTRIS REIPVBLICÆ

FRANCOFVRTANÆ AD MOENVM

INCLYTO

MAGISTRATVI,

VIRIS,

GENEROSISSIMIS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS, MAGNIFICIS, MAXIME STRENVIS, AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS, CONSVLTISSIMISQVE

DOMINIS,

PRÆTORI,

CONSVLIBVS,

SCABINIS,

SYNDICIS,

AC RELIQVIS

SENATORIBVS,

SALVTIS PVBLICÆ STATORIBVS

VIGILANTISSIMIS,

PATRIÆ PATRIBVS

PRÆCLARISSIME MERITIS,

DOMINIS MAECENATIBVS
AC
PATRONIS SVMMIS
SVBMISSO OBSEQVIO
AC
PERPETVO PIETATIS CVLTV DEVENERANDIS,
AVSPICATAM REGIMINIS FELICITATEM, SEMPITERNVM FORTVNARVM INCREMENTVM, IMMORTALEM FAMILIARVM SPLENDOREM,
EA, QVA PAR EST ANIMI SVBMISSIONE, APPRECATVR,
HASQUE THESES INAVGVRALES
IN SVI SVORVMQVE STVDIORVM COMMENDATIONEM
D. D. D.
ILLVSTRIVM VESTRORVM NOMINVM.

DEVOTISSIMVS
AVCTOR.



PRÆFAMEN.



Nter alios casus quamplurimos in foro Medico occurrentes, de quibus Medicus renunciare tenetur, ac multas in judicando difficultates creant, non postremi sunt, ubi de imprægnatione facta, ac de vera & falsa graviditate judicium ferre debent. Graviditatis quidem signa admodum dubia atque fallacia esse omnes Medici conveniunt. Quis igitur mirabitur? illos in re hac delineanda tantopere titubare, ac in tam varias circa conceptionem, fœtus formationem atque partum sententias abire. Conceptionem quidem alii in ovario, alii vero in utero fieri disputant, quidam eam ab animalculo, quidam à spirituosa seminis masculini aura peragi contendunt. Ovarium ipsum alii in abdominis cavitate, alii in uteri cervice positum esse volunt. Aquas, in quibus tempore gestationis fœtus natat, alii urinam, sudorem alii, alii lympham quandam pe-

culiari ductu ibi depositam esse asserunt. Formationem corporis alii animæ, aut principio cuidam plastico adscribunt, alii è contrario à staminum in ovulo præexistentium extensione & explicatione derivant. Nutritionem fœtus in utero alii per os fieri, alii vero per funiculum umbilicalem à sanguine materno nutriri fœtum perhibent. Partum ipsum quidam defectui nutrimenti, quidam spatii angustiis, quidam aëris liberioris denegationi, alii legi naturæ adjudicant, ob quas causas fœtus diutius in ergastulo suo contineri nequit, sed exitum sibi parat. Tempus quoque pariendi in homine quibusdam videtur incertum, quod alii in hoc æque ac brutorum familia certissimum esse demonstrant. Præcipue vero graviditas vera à spuria & apparente difficillimum deprehenditur opus, quamobrem de hacce tantæ & tam magnæ in Medicina obortæ sunt controversiæ & tantopere inter se disputarunt Medici æque ac Physici. Operæ itaque pretium facturos nos esse duximus, *præsenti hacce Dissertatione Inaugurali exhibere, quomodo conceptio molarum in utero muliebri peragatur.* Quod ut Deus Ter. Opt. Maximus ad sui gloriam, ægrorumque salutem dirigat, optamus piisque precibus efflagitamus.

CAPUT I.

De vi atque origine vocis Molæ.

§. I.



I, teste Philosopho, ordo omnis est ratio, optimum factu rati, illum etiam hic, qui rationi & congruus & Philosophis maxime solennis est, sequi ducimus, præ rerum investigatione tradere nominis Onomatologiam. Originem itaque trahit vox Mola à Persica Molin, quod carnis parturitionem denotat, uti LAMZWERD. *de Molis uteri* cap. 1. & RÜFFEN Hebammen-Buch L. V. c. 1. tradidere. Errant igitur, qui à Græco μύλη, molam, aut μύλον rotundum, derivare student, cum neque molæ molendinariæ vices in utero materno agat, neque figura, neque actione cum illa, quæ machina est, conveniat.

§. II.

Circa Homonymiam variæ quidem vocabuli hujus acceptiones occurrunt, vel enim est *Mechanica*, quo sensu Mola indigitatur, v. g. frumentaria, vel *Medica*, quæ rursus est, vel *Anatomica*, ubi vox Mola competit maxillis vid. GAL. L. de ossib. C. 23. & LINDEN. Exercit. XI. §. 148. unde etiam dentes μύλαι audiunt, quod usu suo molas referant; item patellæ genu. vid. BARTHOLIN. Lib. IV. Anat. C. 21. vel *Pathologica*, cum per molam inflamma-

 tionem

tionem & ſcirrhum uteri intelligunt, de quo vid. ÆGINETAM L. V. c. 69. ab AVICENNA modo pro carne quadam in utero excreſcente habetur, modo ab aquis & flatibus dependere molam ſcribitur. Sed nos per vocabulum Molæ ſpeciali ſignificatione hoc loco nihil aliud indigitamus, quam carnem informem & inutilem, in utero muliebri conceptam, quam Germanice efferunt ein Mutter-Gewächs/ item ein Mohn-Kalb/ eine falſche Empfängnuß/ cui falſo in Diſſertatione quadam de Conceptu Fatuo 1729. hic ventilata nomen datum fuit, eine Verſammlung/ cum tonſoribus lippisque notum ſit, obſtetrices per verbum Verſammlung minime molam aut conceptum fatuum, ſed ſanguinem menſtruum retentum intelligere. Galli eam vocant la Mole & diſtinguunt inter *la Mole & faux Germe*. Vid. DIONIS Tr. d' accouch. L. II. Cap. 15. & 16. MAURICEAU d'accouch. L. 1. C. 10. la MOTTE L. 1. C. 7. VIARDEL Tr. d'accouch. p. 50.

§. III.

Ratione Synonymiæ multas mola utique ſortitur appellationes. HIPPOCRATES *L.1. de Morb. Mulier.* carnem vel maſſam quandam informem & inutilem in utero muliebri conceptam vocat. GORDON. *Pract. L. VII. C.18.* fruſtum carnis enorme. CASTELL. ovis ſubventaneis analogum quid. LAURENTIUS conceptum vitioſum. RODERICUS à CASTRO de Morbis Mulier. L. III. C. 7. pondus uteri iners: aliis fœtus mendoſus, imprægnatio mendoſa audit. FRANCISCUS JOEL *Tom. IV.* tumorem carnoſum, conceptum fatuum, & WEDELIUS Pathol. Sect. III. C. 6. maſſam immobilem, carneam, informem, tenacem, fibroſam appellat. Plura qui deſiderat, adeat FRANC. *Differt.* à BONET. POLYALTH Tom. III. L. V. C. 24. excerptam

§. IV.

§. IV.

Miſſis jam hiſce tanquam minus utilibus, ad magis neceſſaria atque ad alterum Diſſertationis noſtræ caput properamus, ubi paucis brevibusque verbis tradere nobiscum decrevimus, quomodo generatio vera fiat, ut deinde eo melius quid per falsam conceptionem, hoc eſt, per conceptum fatuum ſive molam intelligamus, pateat.

Capvt II.

Quomodo opus generationis in homine peragatur, tradit.

§. I.

Antequam ad generationis contemplationem nos accingamus, ſtatim B. L. hortamur, nos conſulto ea ſicco tranſire pede, quæ de animæ humanæ ortu & de corporis ab anima fabricatione perhibentur. Ea enim omnia utpote altioris indaginis argumenta controverſias inanes & ſuperfluas generant, multisque erroribus cum religione & ratione pugnantibus præbent occaſionem. Etenim quis adeo lynceis unquam inſtructus fuit oculis, ut abſtruſum & in abditis plane corporis partibus peractum generationis negotium inſpicere atque demonſtrare potuerit, quomodo anima noſtra à parentibus procreetur; impium enim & religioni Chriſtianæ contrarium eſſet aſſerere, animas omnes primitus jam tum una & ſemel à Deo creatas eſſe, aut adhuc ſingulis generationum actibus ab Eo creari. Ut taceam, infeliciorem hominem præ brutis animalibus fore, quoniam ipſi facultas procre-

 andi

andi ſui ſimile eſſe denegata. Quamobrem melius ii faciunt, qui dicunt, quod corporum animalium rudimenta in ovulis jam delineata lateant; quamvis intellectu comprehendere ac ſenſibus nullatenus aſſequi id ipſum liceat, ex eo tamen ſequi videtur, ea nuda tantum evolutione & extenſione opus habere.

§. II.

Pendet igitur vita embryonis à primo illo momento, quo impraegnato in ovulo à ſemine maſculino motus ille plaſticus inchoatur, toto deinceps vitæ tempore continuandus. Quæ quidem rudimenta adeo licet ſint initio exilia & oculorum aciem effugiant, impraegnata tamen à liquore genitali maſculino in utero evolvuntur & explicantur, ſumtoque, quod primis diebus ſufficit, alimento & incremento tandem conſpicua fiunt; mox hominis formam aſſumptura & deinceps majorem ambitum acquirunt, id tamen vitalitati ejus nihil derogat, cum non à mole corporis, ſed à vitali illa determinatione pendeat. Quamobrem nulla videtur adeſſe neceſſitas, ut animæ rationali corporis fabricationem adſcribamus, eamque architecti munere in exſtruendo corpore fungi exiſtimemus, quia ipſam rerum in eodem actarum parum conſciam eſſe experientia docet. Nec etiam eſt, ut quis credat, ac ſi partes aliæ aliis in generatione antecedant, & primo tempore cor, deinde cerebrum, poſt alia membra ſucceſſiva quaſi generatione producantur & in vivum explicentur fœtum. Notum enim eſt, machinam corporis non inſtar ædificii exſtrui, ſed ex conjunctis inter ſe & cohærentibus ductibus, quos ſucci vitales ſemper interluunt, conſtructam eſſe, quæ partes tam ſolidæ quam fluidæ ſe mutuo exagitant & ad motum inſtigant. Sic neque cor prius quam cerebrum, neque

hoc

hoc ante cor, aut pars alia ante aliam generatur, ſed omnes ſimul exiſtunt. Hoc jam HIPPOCRATEM obſervaſſe ex ſcriptis ſuis patet, quippe qui *L. de Locis in hom.* dicit: *Pincipium corporis nullum eſſe, ſed omne ſimiliter principium & omnia finis.*

§. III.

Multo minus LOEVVENHOECKII ejusque aſſeclarum ſententia de generatione animalium ex animalculis vivis, ſemini virili innatantibus, talis eſt, quæ nobis probari poſſit, quoniam hoc pacto ex multis millibus animalculorum vivorum cum ſemine una vice emiſſorum unicum tantum, aut certe pauciora, cohærerent, & fœtum humanum conſtituerent. Quid autem de reliquis fiat? non patet, quæ tamen, quoniam vita jam tum gaudent, animam humanam certe ante conceptionem poſſidere deberent. Ne dicam hoc modo embryonem unice à patre dependere, cui mater nil præter nidum ac nutrimentum præberet, id quod ſane non modo difficultates inſuperabiles creat, ſed & toti generationis negotio contrariatur, quod fuſius infra, ubi de molis nobis ſermo erit, demonſtrabimus.

§. IV.

Relictis itaque ſententiis iſtis parum vel nihil probantibus, ad eorum potius caſtra tranſimus, qui conceptionis rationem in eo collocant, quando in conjunctione maris cum fœmina pars ſeminis ſpirituoſa, ovulum ingreſſa, in ſtaminibus in hoc præexiſtentibus, ac ſigillatim in puncto, uti in ovis incubatis vocatur, ſaliente, ſeu rudimento cordis motum vitalem expanſivum excitat, quo ipſo in homine anima modo incomprehenſibili producitur ac generatur; uti pluribus hoc à BRENDELIO *Diſſ. De embryone in ovulo ante conceptionem præexiſtente*, demonſtratum.

§. V.

§. V.

Quando itaque ſemen maſculinum apta utriusque ſexus organorum genitalium combinatione in arvum muliebre injicitur, aura ejus ſubtilior per tubam Fallopianam eo tempore ovario, mediantibus fimbriis expanſis, applicatam, intra ovum ibidem latens penetrat atque illud fœcundat, tunc vera exin ſequitur conceptio, vera graviditas. Ex quibus patere poteſt, primo genituram partium, de qua in antecedentibus verba fecimus, quam multi conquiſitis rationum momentis tueri anniſi ſunt, nullam eſſe, rectiusque rem explicuiſſe MALPIGHIUM, qui, omnia corporis membra in ovuli cicatricula ſculpta & deſcripta eſſe idoneis adductus rationibus, contendit. Superfluum eſſe videtur quærere, an cor ante cerebrum, aut ſanguis ante cor gignatur, cum ſenſibus pateat, ante incubatum carinam manifeſto in cicatrice jacere, inchoato autem incubatu vaſa in limbo repleta turgendo occurrere, deinde ex motu cordis ventriculos, & exinde continuatos arteriarum tubos. Et licet excurrens fluidum notas omnes non habeat veri ſanguinis, probabiliter tamen cenſere poſſumus, ſanguinis non ſolum materiam eſſe, verum & ſanguinem, cum ipſæ partes vivificentur & augeantur uti in adultis contingit. *Op. poſthum.*

§. VI.

Non ignoramus, Medicorum Celeberrimorum quamplures conceptionem in ovario, ovulique fœcunditatem per adjunctum tubæ canalem deſcenſum difficilem judicantes, in ea hærere ſententia, ova ante conceptionem ad uterum deſcendere, ibique demum à ſemine maſculino fœcundari, alii per ſanguinea vaſa abſorptam auram ſeminalem teſtibus circulationis via adduci autumant.

Alii

Alii porosam uteri substantiam in congressu fœcundo ad dilatationem necessariam suscipiendam rarefactam semini ad testes aditum concedere putant. Alii e contrario, novum aliquod ovarium in orificio uteri interno stabilire voluerunt, expeditiorem ita viam censentes, qua semen proliferum facilius in ovula, ibidem collocata, penetrare possit, quam si per tubam cum ovario non cohærentem, sed libere in abdomine fluctuantem, ad ovaria hactenus nota transire opus habeat.

§. VII.

His autem mirandæ quorundam observationes, fœtuum perfecte formatorum modo in testibus, modo in tubis Fallopianis inventorum, contradicunt. Quarum notabilis est, quæ in *Ephemeridibus Gallorum* refertur. Hujus commatis illa etiam est observatio, qua non solum fœtum extra uterum in abdomine, verum & ovulum, in quo primum fœtus rudimentum conspicuum fuit, quod JACOBUS GRANDIUS *Venetiis* animadvertisse dicitur apud BARTHOLIN *de ovariis mulierum.* Quin huc etiam pertinent, quæ de cane gravida in *Anglor. Phil. transact.* 147. referuntur, eoque redeunt, quod aliquando canis cujusdam gravidæ fœtus, ex vehementi percussione matri illata perempti cadaverum suorum putredine summa uteri cornua ita impleverint, ut nihil quicquam ex ovariis ad uterum transire potuerit, hæc nihilominus canis stimulante iterum libidine denuo concepit, sed dum adhuc in utero gessit, mortua est, cujus aperto cadavere fœtus jam formati, sed ob denegatum ad uterum transitum, in abdomine hærentes inventi sunt. Quæ observatio fere cum illa, quam *Excell. D. D.* GRAMBS *Physicus Francof. Celeberr. Patronus noster venerandus* 1730. cum orbe erudito communicavit, convenit. Quippe qui in cadavere fœmi-

næ cujusdam 53. annorum maſſam quandam informem atque monſtroſam pilis, oſſibus & dentibus gaudentem, & meſenterii centro adnatam, octodecim libras ponderantem, invenit. Ad molarum autem ſpeciem recenſeri illam minime poſſe, infra docebitur. Nec alienum à re eſt, *quod* CYPRIANUS *in peculiari epiſtola* refert, dicens, quod aliquando fœmina in tuba Fallopiana conceptum geſſerit, qui poſt XXI. menſes, ſalva matre, exciſus fuit. Præter quem & RIOLAN. *anthropograph. L. II. C. 35.* GRAAF *de Organ. mulier. C.* 14. DIONIS *Tr. des accouch. L.* 1. *C.* 11. MAURICEAU *Tr. des accouch. Lib.* 1. *Cap.* 5. conſulere operæ pretium eſt.

§. VIII.

Ovulum fœcundatum, oborta intrinſecus turgeſcentia, ſucceſſive e clauſtris, quibus firmiter antea cohærebat, prorumpit, ac extrorſum tendit, & à tubæ parte anteriori exceptum, verſus uterum deſcendit, ibidem aſſervatur, & brevi poſt, explicatis magis in exteriori ejus tunica fibris, cum hoc cohæret, & ab hoc, velut à fœcundo agro, vegetatur. Per hanc itaque viam embryo, intercedente funiculo umbilicali, ſuccum nutritium habuit, cujus beneficio foetus ad plenariam ſui perfectionem & magnitudinem perducitur. Ex quo ad oculum patet objectionis iſtius vanitas, ac ſi nihil geniture maſculinæ poſt coitum in utero reperiatur, quin potius mox denuo effluat, ut & quod *Dexterrimus* MAURICEAU *in Tr. modo cit. Lib.* 1. *C.* 2. allegavit, ubi voluit, marem generari à ſeminis maſculini in utero materno prædominio, fœminam e contrario, ſi ſemen muliebre prævaluerit, verba ejus hæc ſunt: *Ceux qui ne veulent pas ouvrir les yeux pour reconnoitre une vèrité ſi claire, doivent faire reflexion ſur la grande reſemblance des enfans a leur mere, laquelle ne vient que de ce que la ſemence*

avoit

avoit dominé celle de leur pere, quand il les fit; ce qui arrive de meme maniere, lorsque celle du pere a plus de force & de vertu. Quam opinionem forſitan ab HORSTIO deſumpſit, qui in *Diſſ. de cauſis ſimilitudinis & diſſimilitudinis in fœtu reſpectu parentum* eandem ſententiam fovet.

CAPUT III.

Quomodo Molæ generantur, exponit.

§. I.

Cognita nunc officina, in qua genus humanum cuditur, & generationis Phyſiologia, quantum quidem ad præſentem Diſſertationem quadrat, prælibata, ad ſcopum noſtrum propius accedimus, generationem in depravato ovuli ſtatu conſideraturi. Nam etſi alias generare maſculi, concipere fœmellæ proprium habetur; attamen nihil impedit, quo minus & generationis vocabulum ſexui ſequiori accommodemus, quatenus generatio & activi & paſſivi quippiam involvit, atque in ſexu potiori per ſeminis fœcundi immiſſionem, in ovario autem muliebri per vitalem conceptionem abſolvitur.

§. II.

Quod ſi vero contingat, ut loco ſeminis prolifici ſubſtantia peregrina, & morboſo charactere imbuta, ad uterum deponatur, hoc eſt, ipſa ovula rudimenta & ſtamina fœtus in ſe non contineant, rude & indigeſtum corpus quoddam, ſeu molam oriri neceſſe eſt, de qua impræſentiarum ſpecialius agere decrevimus.

 §. III.

§. III.

Eſt itaque mola caro vel maſſa quædam carnea, informis ac rudis, vaſis innumeris ſanguiferis pertexta, oſſibus carens, in utero raro cum, frequenter ſine fœtu producta, orta ab ovulo ſubventaneo per auram ſeminalem vivificato, & in uterum per tubam Fallopianam voluto, plerumque tertio vel quarto menſe, larga concomitante uteri hæmorrhagia vel cum, vel ſine doloribus, præſentaneo nonnunquam vitæ periculo, rejecta.

§ IV.

Ex data hac definitione patet, quid per molam intelligamus; cum autem perſuaſum habeamus, omnes molas proficiſci ab imperfecta quadam conceptione, non incongruum fore credimus, verba PHILIP. VERHEYENII hic exprimere, *in Anatomia ſua* ſcribentis, *in mulierum teſtibus nonnunquam & quidem præter naturam reperiri veſicularum genus, ipſis ſæpe ovis majorum, quæ continent humorem magis aqueum coctionis interventu in ſubſtantiam albuminis non coagulabilem, quemadmodum alias in veſiculis ſecundum naturam conſtitutis fieri ſolet, quæ aquæ ferveſcenti impoſitæ, ad inſtar ovorum a pennatis depromptorum, colorem, ſaporem & conſiſtentiam illorum albumini acquirere cernuntur.* Confirmat hoc ſuo omni exceptione majori teſtimonio incomparabilis MALPIGHIUS *in Diſſ. de utero, ex his,* inquiens, *dubitari poteſt, veſiculas, quæ quocunque tempore copioſe in ovariis luxuriant, inæqualem ſortitas magnitudinem & concreſcibili colliquamento plenas, non eſſe vera ova, quæ poſtremo fœcundentur, ſed materiam, ex qua fortaſſe glanduloſum luteumque corpus excitatur.* Quod ipſum & Clar. DE GRAAF *de cunicul. generat.* adfirmat, ibi enim Celeberr. Vir, ſedula cuniculorum gravidorum inſpectione edoctus, pro certo refert, quod ipſæ veſiculæ poſt factam conceptionem non ſolum manifeſte

in glandulosum corpus paulatim mutentur, verum etiam quod genuina ova suo tempore in utero quærenda decuplo minora, vesiculis in ovariis constitutis, appareant, expressis verbis docet. *conf.* BERGER *de natur. human. L. II. c. I.* BOHN *Circul. Anatom. Physiol progymn.* 1. Jam vero nullum est dubium, quin si vesiculæ illæ genuina ova essent & in quibus embryo contineretur, facta conceptione, non tam amplificarentur quam embryo magis cresceret; siquidem auram genitalem, cum elastica sua multumque activa virtute materiam, vesiculæ ingreditur, ea magis extendere, ratio quodammodo dictitare videtur.

§. V.

Ex quo phænomeno sua sponte promanat; causam molæ in ejusmodi mulieribus in staminum, quæ in aliis ovulis sunt, defectu quærendam esse. Unde vero hæc ineptitudo ovuli muliebris dependeat, & an illa sit connata an adventitia, & quidem vel a vitio massæ sanguineæ mulieris, vel extrinseco, culpa viri, aut impotentis, aut segnioris ad rem veneream, altioris indaginis videtur, de hoc enim inter se certant Autores, & adhuc sub judice lis est, quapropter hæcce capite sequenti examini subjiciemus.

CAPUT IV.

In Causas molarum inquirit.

§. I.

ORdo Dissertationis jam postulat, ut & causas, quæ ad molarum conceptionem ansam præbere possunt, describamus. Minime autem credimus, eas in vitio quo-

dam humorum ſeroſo adventitio, & hinc ſequente motu ſpirituum irregulari, quærendas eſſe. Errant igitur omnes ii, qui accuſant ſemen paternum, dicentes, ab illo molas produci, ſi corruptum ſit, aut debita quantitate peccet, dum id, quod præſens eſt, activitatem, ob paucam copiam proportionatam, non obtineat, ſed cum debita & deſiderata multitudo deſit, exigua hæc quantitas vim ſuam amittit, aut qualitas ejus ſit vitiata, ubi ſe priori contrarium offert, ſc. neceſſaria quidem adſit materiæ ſeminalis copia, deficiant e contra vires, quæ fœcundando ovulo adæquatæ eſſe deberent, aut ſi vitium conſiſtat in ſuperflua aciditate ſalina coagulativa, quod POMPEIUS SACCUS *in novo ſuo Medico Syſtemate Sect. I. Cap.* 14. obtinere voluit.

§. II.

His vero cauſis nondum contenti fuere Medici, ſed & in ipſa matre quasdam quæſiverunt, duplicem ei culpam, qua molæ generentur, attribuentes. Spiritus nimirum genitalis muliebris, dum in activitate ſua, ſemini virili, in ipſo conceptionis puncto, non reſpondet, vel ſi alia quædam ſeminis virilis activitatem & energiam eludunt. In priore caſu putabant peccare ipſum principium vitale maternum, quod, quia debilitatum ex variis cauſis cum ſemine virili non, ut par eſt, coadunari, & ita ad perfectam conceptionem aptum reddi poſſit. In poſteriori accuſant omnia, quæ ſemini maſculino liberum ad uterum aditum denegant, ut ſunt uterus præternaturaliter conſtitutus, aut ſi nimis denſus eſt, quo impeditur, ut orificium ejus non tam commode ſeſe aperiat, atque ſemen recipiat, aut ſeroſior & humidior ſi ſit, quo ſpirituoſitas abſorbetur, aut ovaria ovulaque ipſa præternaturali ſero abundant.

§. III.

§. III.

Nec minus & iſtas mulieres conceptui fatuo eſſe obnoxias voluerunt, quæ veneri nimium indulgent. Sicuti vero omnes ſupra allegatæ cauſæ fictæ ſunt, & minus cum experientia conveniunt, ita & hæc merito rejicitur, cum conſtet & comprobatum ſit, ovulum impraegnatum minime per reiteratos amplexus viriles corrumpi poſſe, ſed ſemen omne, ob orificium uteri clauſum poſt cohabitationem, effluere; ſicuti & uteri ſtatus præternaturalis, tanquam cauſa hujus mali accuſari minime poteſt, quoniam ille ad conceptionem nullum aliud ſymbolum confert, quam ut ovulo impraegnato domicilium præbeat; id quod etiam de ovario valet, quam ſententiam ab Hippocr. *Sect. V. Aphoriſ. 62.* usque ad noſtra tempora retinebant. Quid vero congreſſus menſibus imminentibus, aut fluentibus, aut nondum plane ceſſantibus, ad generationem molarum faciat, non videmus, cum ne quidem credamus, hoc tempore, ob orificium uteri apertum, conceptionem fieri poſſe.

§. IV.

Errant quoque ii, qui cauſas molarum in ſex rebus nonnaturalibus quærunt, cum neque äer, neque cibi, neque potus anſam huic malo præbeant, multo minus agitationes corporis aut vigiliæ immodicæ, aut iracundus & in orgaſmo conſtitutus animus, & quicunque morbi nominari poſſunt, molam in utero generent; Quid vero terror, triſtitia, motus, ligaturæ infimi ventris ſtrictiores, ad earum conceptionem faciant, non videmus. Cum non ab hiſce, ſed à longe aliis cauſis oriantur, uti Capite ſeq. demonſtrabimus. Ante vero quam harum rationes ulterius reddamus, non alienum ab inſtituto erit, inquirere in ſententias veterum, quidnam illi

de

de molis, earumque generatione ſenſerint, ut collatis utrinque cum Veterum, tum Recentiorum rationibus, facilius judicare poſſimus, quænam veritati magis conſentiant.

§. V.

Veteres nimirum Medici, quorum animi variis adhuc involuti erant tenebris, in diverſas abierunt ſententias, & nullo firmo ac ſtabili fundamento ſubnixi, commentaque opinionum ſequentes, huc illuc tanquam incertis acti tempeſtatibus fluctuarunt. Ac HIPPOCRATES quidem copiam ſanguinis menſtrui, ac ſeminis debilitatem accuſavit, & ex iis naſci molas ſtatuit, quando *libro de ſterilitate*, hiſce utitur verbis: *fit mola in utero cum menſium copia exiguum & minime robuſtum ſemen virile conceperit aut etiam muliebre.* Quam ſententiam repetit *Lib. I. de Morb. Mul.* ARISTOTELES autem anſam generationis molarum in affectiones hyſtericas, ex Galenicorum intemperie frigida & humida naſcentes, & abundantiam menſium, ſeminisque debilitatem conjicit, unde coctio legitima deficit, de quo vid. *Lib. IV. de generat. animal. Cap. 7.* Ab his non multum abiit GALENUS *Lib. XIV. de uſu part. jam ipſum*, inquiens, *fœmineum ſemen gignere per ſe fœtum non poteſt, ſed maris ſemen omnino flagitat, cum quo oportet miſceatur, ita ut utrumque ſemen in unum motum conſpiret. Nam tametſi gallinæ citra gallinacei operam ova ſubventanea concipiunt, ex illis tamen animalia excludere nequeunt, quandoquidem ut ea perficerentur, maſculi caliditatem deſiderabant, aſt mulierem nemo vidit unquam, ſine viro vel molam vel ejusmodi quippiam concepiſſe.* DAN. SENNERTUS *Prax. Libr. IV. part. II. Sect. IV. cap. 19.* proximam molæ cauſam conſiſtere putat in facultatis formatricis errore, certumque habet, eam facilius contingere, ſi menſtrua non ſolum

lum redundent, ſed impura etiam ac nutriendo fœtui inepta exiſtant. Quam ſententiam quoque retinuiſſe VARANDÆUM probabile videtur, quippe qui molam naſci ex imbecillitate utriusque ſanguinis, præcipue maſculini, dum ſuperare vim fœminini non pollet, exiſtimat, *de morb. & affect. mulierum.* Idemque ſentit MAURICEAU *tr. des accouch. Lib. I. Cap. X. La mole*, inquit, *n' eſt autre choſe qu' une maſſe charnuë &c. engendrée contre nature dans la matrice enſuit du cöit des ſemences corrompuës de l' homme & de la femme.* LA MOTTE *tr. des accouch.* eandem obtinuit opinionem. FERNELIUS ſemen viri actionem quidem & perfectionem fœtus inchoare, eam tamen non perficere, ſed extingui affirmat, adeoque molam vel ut imperfectum quid ad genus perfecti referendum eſſe, & ad genus carnis humanæ, ſicut embryo ad genus hominis refertur, uti loquitur PAULUS de SORBAIT *Med. Pract. Tract. I. Cap.* 87.

CAPUT V.

Placita hodiernorum Medicorum circa molarum generationem explicat.

§. I.

Explicatis atque deſcriptis Veterum opinionibus ad Recentiores progredimur, quippe qui meliora edocti aliter quoque judicare cœperunt, inter quos primo nominamus JOH. BAPT. de LAMZWERDE, qui in tractatu ſuo *de molis uteri* quidem non penitus ab HIPPOCRATIS ſententia diſceſſit, paulo tamen aliter enarravit, & ſicuti ille ſemen morboſum ac paucum, menſium-

que redundantiam accusavit, ita hic culpam in defectum quarundam particularum & impeditam partium evolutionem explicationemque conjecit. Quam sententiam JOH. JAC. HARDERUS quoque amplexus est, dum ad molæ generationem ovum non modo maturum sed fœcundatum quoque requiri statuit; quod ordinario naturæ motu per vias quoque ordinarias in uterum delatum est, ut ex ipso fœtus naturalis progignatur. Verba ejus ita se habent: *hæc ipsa autem naturæ actio, quando à violento quopiam pervertitur, molæ generatio in procinctu est; cujusmodi quidem à matris perversa imaginatione vel vehementioribus animi pathematibus frequenter accidit, imo cum ipsæ partes in ovo earumque fibræ tenellæ admodum sint, quin ab humorum, quibus alias nutriuntur, acrimonia vel vehementiori impetu rumpi, vel erodi, indeque in unam massam rudem & indigestam coalescere queant extra aleam ponendum autumo. Epist.* ad GEORG. WOLFFG. WEDEL. *Confer. Ephem. Nat. Cur. D. II. Ann. II. obs.* 185. *de molæ generatione & differentiis.*

§. II.

Excell. CHRISTIAN. VATER *Prof. Witteb. Celeberr. in Dissert. quadam de molis* 1702. *ventilata* tradidit, *molas à retentis post partum secundinis oriri,* ita nempe pag. 12. & 13. scribit: *inter alias autem molarum causas primo loco merito nominamus retenta, ubi ea, quæ uterum post partum expurgare debebant, intus remanent, adeoque accumulata non solum naturæ vim inferunt, sed etiam fundamenta ad generandas molas ponunt. Etenim omnibus parturientibus ac præcipue humanis, à natura ingenitum est, ut post enixos fœtus massa illa carnea ac fibrosa, & vasis dives seu secundinæ pariter edantur, unaque cum istis humores illi cruenti seu lochia, quæ vocant, effundantur adeoque uterus hoc modo repurgatus in se coëat, pristinamque figuram repetat. Quod si vero id minus contingat varii generis mala, ad quæ etiam*

etiam molæ tam infestæ pertinent, exinde ortum ducunt, ac in totam machinam corpoream redundant, quæ si non perniciem interitumque afferant, valetudinem tamen labefactant, aut morbos diuturnos producunt COURVEUS autem *de Nutrit. Fœt.* statuit, molam ex vero conceptu nasci, quando nimirum ille ab humoribus inter chorion & amnion existentibus inundatur quasi ac deformatur, ut ad perfectionem suam pervenire nequeat, sed in rudem ejusmodi & informem molam concrescat. Quem *&* *Dn.* D. OSTERTAG *in Dissert. cit.* §. 7. secutus, dum in illa vult conceptum fatuum exinde oriri, si embryonis funiculus umbilicalis casu quodam fortuito vel rumpatur vel saltem mutuus sanguinis circulus à fœtu in placentam & ab hac in embryonem impediatur, verba ejus ita sonant: *conceptum fatuum fieri, quando ovulum muliebre per auram seminalem vitali motu impraegnatum, perrupta ovarii membrana, viam tuba Fallopiana praebente in uterum delatum, ibi mediante illa, qua ovario inhæsit, fibrilla nunc placentæ munus suscipiente, radices agit succumque nutritium maternis ex arteriis recipit, hincque cum inibi inclusus fœtus lineamentis, tamdiu augmentum capit usque dum circulationis sanguineæ è matre in fœtum & è fœtu in matrem per funiculum umbilicalem, filo causa quadam occasionali abrupto, vitalis ille motus cessat, stamina embryonis obliterantur, placentæ autem vasa, cum utero arcte connexa à continuo irruente sanguine circulatione sua orbato in dies replentur, mole augentur, tandemque ordinarie circa tertium quartumve mensem copia contentorum fluidorum rupta, hæmorrhagiæ uterinæ, & hinc ab uteri contractione enatis concomitantibusque dorsi ac pubis doloribus, parturientium nisibus, ex amussim respondentibus, suæmet exclusioni ansam præbent.*

§ III.

Non ignoramus, sententiam hancce à D. D. LAMZ-

WERDE desumptam esse, quippe qui in *Tract. cit. p. m.* 258. *& seqq.* eandem de molis recenset opinionem: *nulla,* dicens, *verisimilitudine nititur eorum opinio, qui carnem ex solo sanguine & semine muliebri in utero virginis generari posse docent; quorum Autorum gravitate seducti, qui semetipsos jugulant, dum molam cum ovis subventaneis à gallina virgine enixis comparant nam ovum subventaneum non est massa carnea, nec ex illo ulla generatur caro.* Et in alio loco hæc allegat verba: *illa molæ species, quam describit* KERCKRINGIUS *nullam patitur difficultatem, quippe quæ prius embryonem conceptum præsupponit, quod sine maris auxilio fieri non posse omnes fatentur.* Ut vero omnis tollatur scrupulus atque demonstretur, omnia hæcce neque cum ratione neque experientia convenire, Cap. sequenti non solum adversantium argumenta, sed & solutiones eorum, & quæ in scholis Medicis pro nostra opinione afferri solent, in medium adducere animus est.

CAPUT VI.

Objectiones quasdam circa molarum generationem diluit.

§. I.

Allegata modo accuratius paulo consideraturis, tria nobis occurrunt argumenta, quorum *primum* est, quod molæ à vera conceptione generentur, *secundum*, quod ruptura funiculi umbilicalis aut retentio secundinarum post partum ansam generationi molarum præbeat, *tertium* denique, quod membra & rudimenta fœtus obliterentur: Ad quæ autem jam respondebimus, atque demon-

monſtrabimus, quam falſa & nonniſi in cerebro Autorum ficta & concepta ſint.

§. II.

Primum quod attinet membrum, *à vera nimirum conceptione molas generari*, hanc ſententiam quamplurimos quidem Phyſiologos & Medicos foviſſe, & præeunte KERCKRINGIO pro aris focisque defendiſſe non ignoramus, ſicuti etiam non negamus, etiam prima ſua incunabula ſemini deberi maſculino, & à fœcundo coitu molas generari, alias enim ovulum minime in motum concitari, neque per tubæ ductum ad uterum ferri poſſet. Sed ſaltem hoc volumus, quod ovulum ejusmodi imprægnatum, quia nulla fœtus rudimenta in ſe continet, nulla etiam exinde ſequi poſſit vera graviditas, nec verus partus. Eſt igitur in ſuo genere verus conceptus ſed non perfectus, quia deeſt principium principale, à quo fœtus generetur & producatur. Minime enim maris contactus illum ſupplere poteſt defectum, non enim grana ſine germine duplicatis etiam ſolis radiis germinabunt. Sic ſemen maſculinum, quamvis omnibus inſtructum ſit requiſitis ad fœcundationem neceſſariis, nunquam tamen aggredietur generationis perfectæ actum, niſi & ovulum omnibus gaudeat requiſitis.

§. III.

Objicies nobis *nulla fœtus rudimenta in ovulo muliebri reperiri, ſed ſaltem poſt conceptionem embryonem formari*; hoc eſt, fœtum primordia ſua vermiculo in ſemine maſculino contento debere; reſpondemus, nos minime latere, ſingularem hancce imprægnationis rationem LÖWENHOEK *Tr. Arcan. Nat. det. in Epiſt. ad* CHRIST. WIEN. *Præſ. Societ. Reg. in Anglia p.* 28. *&* 30. tradidiſſe, ubi gloriatur, ſe in ſeminibus maſculinis brutorum, avium, piſcium imo etiam inſectorum detexiſſe animalcula. Quem & ſecutus JOH LUD.

HANNEMANNUS *M. N. C. D. 2. A. 2. Obſerv. 55.* ubi dicit, *ſi microſcopio humanum contemplamur ſemen, diverſorum animalium myriades in eo repunt ac motitant*; eandem retinuit opinionem NICOL. ANDRY *Tr. de la generat. des vers Cap. III. Artic. I. & Celeb.* BOERHAAVE *Inſt. Med.* §. 651. & alii quamplurimi modernorum Medicorum, qui omnes volunt animalculum unum vel alterum ſemini inexiſtens maſculino, in fœcundo congreſſu ovulum intrare, ac dein utero matris adhærere, exinde alimentum ſumere atque in fœtum formari maſculum vel fœmineum, prout diverſi ſexus vermis fuit.

§. IV.

Aſt ut taceamus, nullum Anatomicorum tam felicem fuiſſe, auram ſeminalem, à qua generatio peragitur, ſolam & non cum ſemine craſſiori permixtam microſcopiorum ope inſpiciendi & examini ſubjiciendi, ut in illa ejusmodi animalcula nobis detegere potuiſſet, ita hæc fœcundationis ætiologia lubrico ſtat talo, & experientiam contrariam experitur. Imprimis vero accuratiſſimus ovorum pennatorum Scrutator MALPIGHIUS *in Tr. de format. pulli in ovo* ipſis contrariatur, dum in ovorum pridie editorum, nec dum incubatorum cicatriculam inquirens, in centro ejus ſacculum contineri, coloris cinerei & in colliquamento natantem, cui rudimentum pulli tanquam amnio incluſum ſit docet. Cujus obſervationi & alii Autores, è quibus VATERUM, VERHEYENIUM, BLANCARDUM, & GRAAFIUM nominaſſe ſufficiat, ſubſcribere non dubitant. Sicuti & hæcce obſervatio, quam *D. Dr.* SCHEID *Pract. Arg. & fideliſſimus meus in arte obſtreticandi Præceptor* mecum communicavit, veritatem hujus rei magis declarat. Qui nimirum in ova columbarum incubata inquirens, talia invenit, quæ veram præ ſe ferebant molæ ſpeciem,

ſpeciem, hoc eſt, maſſam quandam in illis obſervavit carneam, quæ non tam nulla fœtus ſtamina in ſe continebat, quam potius veſiculam aqua plenam viſui ſiſtebat. Ex quo concludere licet, hæcce ova fuiſſe ſubventanea, quæ ob calorem externum ab incubatione ortum ita concreſcebant. Quilibet, qui de veritate hujus aſſerti dubitat, experimentum quoque imitari poteſt, hoc ſaltem obſervet monemus, ne ova ejusmodi incubata ultra 12. dies inaperta relinquat, alias enim in materiam concreſcunt duram & fere lapideam, quod idem obſervavit modo laudatus D. D. SCHEID. Nec ullum nobis relinquitur dubium, quin eodem modo ſeſe res habeat in homine, præterquam enim, quod rationi admodum congruum eſt, in ſimilis ſtructuræ corporibus procreandis, ſimilem quoque motum naturam adhibere. Ita etiam ex Chymicis notum, nullum ſpiritum vermibus ſcatere, ſed iisdem deſtillatione facta deorbari, quod acetum deſtillatum probat, cum autem aura ſeminalis nihil aliud quam pars quædam ſumme ſpirituoſa ſit, ita etiam vermes in illa exiſtere nequeunt, ſed eosdem ſaltem in ſemine craſſiori contineri credimus. Qui tamen, tanquam minus ad generationem utiles, iterum cum materia ſeminali ex utero effluunt & nullum in eo ſocium ſeu ſodalem relinquunt.

§. V.

Hæcce modo allegata vera eſſe, molarum generatio docet; nam ſi a vermibus conceptio fieret, nullæ a mulieribus ederentur molæ, nullus eſſet conceptus fatuus, id quod tamen experientiæ quotidianæ repugnat. Sicuti & hocce veritati contrariatur, *à funiculo umbilicali diſrupto & inde ſanguinis circulatione in fœtum inhibita* molas generari. Quis quæſo unquam Medicorum & Phyſicorum fuit, ut hoc falſum ſuppoſitum pro vero venditarit? Neque eſt,

cur

cur quis sibi persuadeat ob liberum sanguinis e placenta in embryonem circulum denegatum, aut ob funiculum umbilicalem disruptum molas a mulieribus generari. Et miramur, hæcce à Medico, ne dicamus ab eo, qui & arti obstetricandi incubuit, tradita esse. Notum enim & omnibus cognitum est, funiculum umbilicalem nulla vi externe matri in utero gerenti illata disrumpi posse, quia vis non funiculo sed potius secundinis aut embryoni ipsi impingeretur. Et quid si concederemus, vi ejusmodi externa, matri illata, funiculum in consensum trahi, exinde tamen non sequitur illum dilacerari, quia experientia comprobatum est, solida corpora, nisi summe sint extensa, frangi minime posse; funiculus autem in utero materno ob angustum, quod occupat fœtus, spatium, & ob sui longitudinem non adeo extendi potest, ut inde ruptura oriatur.

§. VI.

Quod si vero fieret, ut funiculus umbilicalis rumperetur, nonne statim larga hæmorrhagia istam concomitabitur rupturam? Quod vulnus, quia consolidari neque etiam hæmorrhagia medicamentis nullatenus compesci potest, tamdiu durat, usque dum vel contentum in utero edatur, vel mater placida exspiret morte, id quod contrariæ sententiæ defensores nolentes fateri coguntur. Hæc jam vera cum sint, extra omnem dubitationis aleam positum quoque est, tam cito embryonis membra putredine consumi aut absorberi minime posse, sed necessario quædam eorum vestigia nobis relinqui debere, quod vero in ejusmodi partu nunquam observamus, sed saltem massam quandam carneam reperimus, & si quædam ossa adsunt, tunc minime molæ nomen ipsi competit, quod modo *allegatus Dn. D.* OSTERTAG. *l. c.* bene descripsit.

Hanc

Hanc ob cauſam etiam germen monſtroſum, quod ſupra laudatus *D. D.* GRAMBS obſervavit, mola appellari nequit, ſed potius inter monſtroſa referendum eſt corpora.

§ VII.

Ponamus vero caſum molas hoc modo generari, quorſum quæſo abeunt membranæ fœtum ambientes? ubi portantur, aut in quam materiam mutantur aquæ, in quibus embryo continetur? Quam metamorphoſin patitur embryo, ut membra ejus adeo obliterentur, ut ne veſtigium quidem eorum relinquatur? Qui fit, ut ſecundinæ tam mirifico artificio in maſſam quandam carneam rotundam & ovo ſimilem concreſcant? Ad hæc nobis quæſo reſpondeatur. Si quis dicit, membranas à vi externa matri illata disrumpi, & aquas effluere, fœtum ob uteri calorem putreſcere, ſicque ſecundinis locum dare concreſcendi; Ad hæc autem regerimus, hoc ſi eſſet, non modo aquæ, ſed & ſanguis ob læſionem funiculi umbilicalis, aut ſeparationem ſecundinarum ſtatim effluerent, & id tamdiu continuaret, uſque dum omne in utero contentum ope dolorum parturientis, expelleretur, vel manuali operatione extraheretur. Hoc modo ſecundinis nullus daretur locus in maſſam ejusmodi carneam ovo ſimilem concreſcendi, nec etiam fœtus putredine conſumeretur, ſed ſtatim viſui ſeſe ſiſteret, & manibus palpari poſſet, cui deinde nomen abortus, minime vero molæ competit.

§. VIII.

Putredinem jam quod attinet, iſta membra fœtus corrumpi & obliterari non poſſe experientia docemur. Poſſunt enim in locis ſiccis corpora exſiccari ſicque diu ab iſtis putredo arceri, omnes enim fermentationes & putrefactiones fiunt in liquido, & ſic per aquam & in

aqua. Hinc hyemali tempore, quo corpora animalium conglaciantur, diu à putredine conservantur, nam in omni fermentatione & putrefactione aqua dissolvit illa principia, quæ mutuam actionem & reactionem præstant. Sic dantur etiam peculiari virtute prædita loca, in quibus corpora satis diu incorrupta manent, uti Tulusæ in Fratrum Minorum cœnobio, in loco subterraneo sepulti per DC. annos a putredine non corripiuntur vid. BARTHOL. *Histor. Anat. 62. Cent. I.* Sic cerebri medulla mollis & non fœtens in craniis post 70. circiter annos e puteo Dominicanorum Castrensium eruta. Observavit BORELLUS *Cent. II Observ.* 36. talia exempla repertorum scil. in tumulis incorruptorum. Sic cadavera ad usum Medicorum vid. CROLLIUS *Basilic. Chym. p.* 358. & fumo carnes animalium exsiccantur quod omnibus mulierculis notum. Verum enim vero non tantum adultorum cadavera mediante sole, igne & locorum naturali siccitate exsucca observantur, sed quoque infantes in utero materno sceletorum instar reperiuntur, quorum exempla vide apud BARTHOLIN. *l. c. Cent. I. Hist.* 12. *& Cent. II. Hist.* 2. PECHLIN *Lib. I. observ.* 28. HILDAN. *Cent. II. observ.* 52. Magna enim vis est lenti ac diuturni caloris animalis, a quo successu temporis ejusmodi sceleta uterina in osseas etiam statuas transformari possunt vid. *Diss. Exc. D. D.* RUD. JAC. CAMERARII. *Prof. Tub. Celeberr. de fœtu 46. annorum.*

§. IX.

Non sola autem spontanea exsiccatio cadavera a putrefactione præcavet, sed possunt quoque servari condimentis & liquoribus balsamicis, spirituosis, aromaticis, salinis. Sic Reges Peruvianorum pinguedine arboris cujusdam odoriferæ condiuntur, cujus tanta est virtus, ut

cada-

cadaver imbutum corrumpi non permittat. vid. *Diss.* CHRIST. HOFFMANNI *de pollinct. antiquit.* 1669. *habit. &* GEORGI PASCHII. *inventa nov. antiq. p* 37. sic Anatomiæ peritis nota est famosa ista balsamatio Bilsiana. Merito quoque hic commemoranda mihi venit Anatomici Amstelod. consummatissimi RUYSCHII, qui cadavera liquore & arte balsamandi tam nitida servavit, ut color atque consistentia naturalis cutis, musculorumque visui & tactui sese exhibeant. Ut taceam pollincturam Veterum, quippe qua Ægyptii suos defunctos a putredine præservarunt.

§. X.

Ne vero nimis longe a scopo nostro aberremus, revertimur ad embryones in utero materno latentes, atque considerabimus, quomodo & hi a putredine conserventur. Notum est, corpora ab äeris attactu præservata illibata manere. Omnes enim effervescentiæ, fermentationes, putrefactiones unice fere ab äere dependent, hinc in vitris per antliam pnevmaticam exsuctis & epistomio clauso possunt conservari fructus alias fermentationibus obnoxii, item & flores, carnes, idque sine ulla alteratione. Quare olim Persis solenne erat, ut priusquam corpora mortuorum humassent, cera oblinirent, ne scil. ab äere, aqua, aliisque externis injuriis tam cito corrumperentur. Ita quoque insecta varia succino incrustata reperiuntur, quæ propter denegatum äeris accessum nunquam corruptioni sunt obnoxia. Hoc ultimum itaque, äeris videlicet denegatus aditus in causa est, quod fœtus in utero materno tamdiu incorruptus, imo parum immutatus retineri & servari possit, & si fieret, ut putredinis vis infringeretur, non in molam, uti jam probavimus, mutaretur, sed potius lapidesceret; unde peccant illi

Medici, qui in alia quadam cauſa quam in unica hacce, ovulo nimirum ſubventaneo molarum generationem quærunt.

Caput VII.

De variis molarum formis agit.

§. I.

Ex his ſupra allatis facile judicari poterit, quidnam ſtatuendum ſit de molis volantibus, viventibus, mordacibus, quas non ſolum mulierculæ ſe vidiſſe perhibent, ſed etiam Medici. Quorum numero Levin. Lemnius *L. 1. de occ. nat. mirac. Cap.* 8. & Salmuth *Cent* 1. *obſerv.* 63. adnumerandi ſunt, qui magno ſtudio ejusmodi obſervationes, utplurimum a mulierculis enarratas memoriæ prodiderunt. Forestus *Lib. XXVIII. obſerv.* 62. molam accipitris roſtrum præ ſe ferentem obſervavit. Modo fungum ſeu manum complicatam, Hildan. *Cent. II. obſ.* 52. modo cor pericardio incluſum cum cono & baſi, Bartholinus *Cent. III.* & Blancard *Cent. V. obſerv* 98. modo urticam marinam, Lemnius *l. c.* modo bulbum Dom. Panarol. *Iatrologiſm. IV. obſerv.* 46. modo gallinam, in qua caput cum roſtro equilino ſimile figuratum erat, rurſus Forestus *l. c. obſerv.* 61. modo membrum virile Paul Salmuth *diverſ. annot in Altomar. Cap.* 6. modo aliam figuram exhibet, cujus generis plures deſcriptas habent Carol. Piso. *de morbis ex ſero Lib. IV. Cap.* 5. & Barthol. *Cent. III. Hiſt.* 84. Lamzwerd *l. c. Cap.* 15. Joh. Schenck. *Lib. IV.* & inprimis Schurrig. *in ſua Embryol. Sect. VII. Cap.* 3. Cavendum modo, ne

ne commentis illis fabulosis & ridiculis, quæ vulgo præsertim à fœminis ad quodvis credendum proclivibus narrantur facile credas. Silentio vero hic præterire minime possumus, quin mentionem faciamus historiæ memorabilis, quam MELCH. SEBIZIUS *Prof. olim Arg. Celeberr.* de fœmina quadam Argentoratensi, quæ ventrem supra modum tumidum atque distentum ultra decennium gestavit, & tum hydrope uterino, tum molis carnosis 76. tum ea hydropis specie conflictata fuit, quæ ascites dicitur, fideliter descripsit.

CAPVT VIII.

De signis, quibus conceptio vera a falsa distinguitur.

§. I.

Perpensis itaque & veræ & falsæ graviditatis conditionibus, nunc quoque signa, quibus hæc ab illa distinguitur, perlustrabimus. Quorum alia sunt genuina, alia vero spuria vel mere falsa, ex quo etiam factum est, quod nonnulli dubitarint, dari signa certa atque evidentia ingravidationis, quod tamen falsum esse è sequentibus patebit. Quamprimum mulier utero concepit, varias, easque insignes in corpore communiter experitur mutationes. Ita enim HIPP. *de principiis* scribit: *Mulier cum in ventre concepit, statim horret, & calor & dentium stridor consequitur, & convulsio occupat tum articulos, tum totum corpus & uterum, segnities ac torpor.* At longe plura imprægnationis

indicia paulo poſt ſequi ſolent, quorum tantus eſt numerus, ut vix illa recenſeri queant, quæ in mulierculis obſervantur, collegit tamen ea PECHLINUS *in Obſerv. Phyſ. Med. Lib. I. obſerv. 45. Sunt*, inquiens, *alacres & vegetæ, quæ ſimul ac contagio ſeminali ſunt infectæ, velut ad nocentis auræ halitum aliam inducunt naturam, corporisque & animi dotes lente amittunt. Statim enim vultum ſolitus deſtituit rubor, oculorum orbitæ excavantur & liveſcunt, caputque & lumbi doloribus. artus omnes laſſitudine perfunduntur, appetitus non tantum nullus, ſed & degener & ad inepta præpoſtera perſuaſione productus, conſuetorum alimentorum etiam memoria gravis aſpectus ſæpe intolerabilis, uſus diris ſymptom atibus, inde & vomitu vindicatus; inſuetorum contra incredibilis appetentia, & ſi cum petuntur deficiunt, major quam a præſentibus, noxa; coctio ventriculi, alvus & pleræque inde functiones depravatæ. Et hæc quidem non omnibus, nec ſimul & ſemel; ſed aliis initio, aliis toto tempore, aliis proxime ante partum eveniunt.* Hæc tamen indicia graviditatis, quamvis in quamplurimis obſerventur, ea tamen, uti ipſi Autores fatentur, ac quotidiana experientia docet, nullatenus ad univerſalia ac perpetua, ſed ad accidentalia potius ſunt referenda. Non raro enim evenire ſolet imo utplurimum fit: ut virgines morboſæ & palleſcentes, poſt conceptionem vividiores, vegetiores meliusque valentes evadant.

§. II.

Alia tamen eaque magis eſſentialia, & quæ per naturam graviditatem neceſſario ſequuntur, indicia temporis ſucceſſu in fœminis obſervari ſolent. Ceſſat nimirum ordinarie ſtatim poſt conceptionem, fluxus ſanguinis menſtruus, percipitur à gravidis tenſio abdominis, qua primum inſenſibiliter, poſt medium vero geſtationis tempus manifeſto abdomen intumeſcit, ac magis elevatur.

Eo ipſo quoque in mammis, præcipue in papillis, pruritus atque punctorii dolores percipiuntur, ac lac quoque pededentim in iisdem colligitur, fœtusque ipſe tandem adultior factus, motibus fortioribus ſui præſentiam notam reddit. Hæc quidem ita ſunt comparata, ut ubi conjunctim ac perfecte adſunt, graviditatem præ aliis indicare ſoleant. Nihilo tamen ſecius iſta quoque ſigna, ſi ſeparatim conſiderentur, aut imperfectiora ſint, fœminis ipſis, multoque magis aliis imponere poſſunt. Quem enim latet? ex quot cauſis purgatio menſtrua, etiam ſine imprægnatione turbari, aut plane cohiberi poſſit, quam è contrario gravidæ interdum, quamvis rarius, ad dimidium geſtationis tempus imo ad partum usque experiuntur.

§. III.

Idem eſto judicium de lacte in mammis; lac enim naturaliter non niſi in mammis gravidarum reperitur, interea tamen quandoque fit, ut & in mammis virginum obſervetur, cujus rei exempla vid. apud ROD. à CASTRO *libr. de natur. mulier.* THOM. BARTHOLIN. *in Ciſta Med.* nec non virorum, quod refert SCHENKIUS *in Obſerv. de Lacte & Cel.* TEICHMEYER. *Inſtit. Med. Leg. p. 36.* Quo pertinet HIPPOCR. *aphor. 39. Sect. V. ſi mulier neque prægnans, neque puerpera lac habet, ſuppreſſa ſunt menſtrua.* Quid vero de ſignis ex urina deſumtis dicamus, facile quilibet intelligit, cum conſtet ea fallacia eſſe atque nullum in re fundamentum habere. In gravidis etiam neque colore neque conſiſtentia urina ita alterari poteſt, ut exinde infallibile atque evidens ſignum depromi poſſit. Ejusmodi generis eſt & experimentum HIPPOCR. *aphor. 41. Sect. V. S noſſe velis*, inquientis, *an mulier utero gerat, jamjam dormituræ melicratum bibendum exhibeto, quod ſi alvi torminibus infeſtetur,*

con-

concepit, ſin minus, non concepit. Imo non deſunt varia ab Autoribus commendata experimenta cum ſanguine gravidæ, nec non cum aliis rebus inſtituta, quibus ingravidationem probare voluerunt. De quibus vid. VENETTE *in ſuo de hominis generatione edito tractatu*; de quo tamen monendum, plurima eſſe mere falſa, imo plane abſurda, & nihil exinde probari poſſe, uti etiam nonniſi in cerebro nata illa ſigna eſſe certiſſime credimus, ratione enim & experientia deſtituta ſunt pleraque, ad quorum numerum etiam pertinent ephelides, quæ à nonnullis pro ſigno ingravidationis quoque habentur. Oriuntur illæ à ſero valde impuro, & in utroque ſexu conſpiciuntur, imo in nonnullis gravidis ejusmodi maculæ adſunt, quas noſtrates efferunt. Sie hat Kinder-Flecken im Geſicht / ſie iſt ſchwanger. Hoc vero etiam mere fallax eſſe ſignum ex conſequentibus videbimus.

§. IV.

Inter omnia vero ſigna optimum ferme ac certiſſimum fœtus motum recenſent. Hic enim intra quartum aut quintum menſem in utero geſtatus motu ſeſe manifeſtat, interdum adeo forti, ut & viſu percipi poſſit, & manui abdomen tangenti ſenſibilis ſit. Nec obſtat, quod ſæpius ejusmodi motus vagi in abdomine oriantur, qui quidem fœtus motum mentiuntur, non tamen ſunt, atque mulieres ſæpiſſime fallunt, à rerum gnaris vero facile diſtingui à veris poſſunt. Motus enim flatulenti non ſunt conſtantes, ſed vagi hinc inde in corpore percipiuntur & effectu quoque ſeſe manifeſtant. Ne vero Medicus, imprimis iſte, qui & arti obſtetricandi operam dedit, tam facile ejusmodi ſignis decipiatur, ei in memoriam revocamus, duo ſaltem nobis remanere ſigna, quibus graviditatem certo cognoſcere poſſimus, quorum *primum* eſt,

eſt, mutatio orificii uteri interni, quod tactu explorare debet, *alterum* vero prominentia umbilici. Notum vero eſt, in hydrope aut omnibus aliis abdominis intumeſcentiis umbilicum fere obliterari, ita ut ne veſtigium quidem ejus remaneat; in graviditate è contrario umbilicus circa finem tertii & initium quarti menſis protuberare incipit, & hoc tamdiu durat, usque dum fœtus partu eſt enixus. Cauſam hujus prominentiæ in eo conſiſtere credimus, quod uterus, qui extenditur & intumeſcit, inteſtina quoque verſus ſuperiora premat, atque ſic cavum abdominis repleat, qua repletione quoque integumenta communia & ſic umbilicus aliquatenus latens extrorſum pelluntur, à quo hæc prominentia infertur. Quæ allegata ſigna in omnibus gravidis obſervari, pro certo affirmamus, reliqua vero omnia fallacia eſſe experientia docet, quamobrem abhibenda iſtis fides nulla eſt. Plura de hiſce qui deſiderat, evolvat MAURICEAU *Tr. des accouch. L. I. Cap. VI.* La MOTTE *l. c. Lib. I. Cap. VIII. IX. & XI.*

§. V.

Traditis jam ſignis graviditatis reſtat, ut & paucis deſcribamus, quomodo ex graviditate cognoſci queat, utrum mulier fœtum aut molam conceperit. Quam obſcura autem hæcce ſint, patet ex hiſtoria D. GRADI, qui in propria uxore ſe deceptum ingenue fatetur; interim tamen quædam dari perhibent, quorum primum eſt, figuram uteri ex molæ incremento æqualiter in omnem dimenſionem dilatari, ex fœtus autem veri augmento verſus umbilicum matricem acuminari. 2.) In mola nullam partium diſtinctionem per diligentem hypogaſtrii contactum animadverti, ſed velut globum quendam verſus fundum vergere. 3.) In mola cibi faſtidium,

ſtidium, non uti in fœtu eodem modo ſeſe habere ſed magis continuum eſſe & cum majori virium dejectione. 4.) In mola cibi deſiderati uſu immodicum appetitum non ceſſare ut in fœtu. 5.) Molam ordinarie dolorem punctorium circa uteri regionem ſubſequi. 6.) In mola mammarum papillas quidem turgeſcere, ſed nullum lac generari 7.) molam majorem graviditatis ſenſum ſecum ferre, quam fœtum. 8.) Denique molam etiam alio motus modo moveri, quam fœtum, quippe illa utplurimum ex accidenti movetur, quando fœmina ſe de loco in locum transfert, vel quando comprimitur. Hæc autem ſigna quoque fallacia eſſe, dum ſæpius fœtum mortuum aut aliud quid in utro contentum annunciant, docuit LA MOTTE *in tr. de art. obſtetric. cap. X. Libr. III* & unicum ſaltem dari verum & certiſſimum ſignum, quo cognoſci poſſit mulierem mola eſſe gravidam vult. Hoc autem ſignum in eo conſiſtere notat, quod venter ſtatim primis poſt conceptionem diebus intumeſcere incipiat; cum è contrario in vera graviditate ante tres menſes dicta intumeſcentia uteri & abdominis non æque obſervetur. Verba ejus hæc ſunt: *Comme la femme, qui eſt groſſe d' une mole, groſſit conſiderablement des les primiérs mois de ſa groſſeſſe, au lieu que celle qui eſt groſſe d' enfant, ne paroit groſſe, qu' apres le deux & troiſiéme mois, & que celle, qui a une ſimple ſuppreſſion de ſes ordinaires, ſouffre les memes disgraces que celle ci; c'éſt à dire, que ſon ventre s' applatit durant les primiers mois; qu' elle a du degoût pour les alimens, qu' elle aimoit le mieux, des envies des choſes extraordinaires, des vomiſſemens, & que ſon ventre groſſit en ſuite, & continue à ſe gonfler, jusqu' à ce que la nature évacue ce qui lui eſt nuiſible.* Hæcce ſigna ſufficienter cognoſcunt fœminæ, quæ plures peperere proles, utpote quæ diverſitatem molarum motus, à motu viventis

tis fœtus ipſæmet ſenſu percipiunt & diſtinguunt, id quod cit. *la* MOTTE l. c. exemplis comprobavit.

CAPUT IX.

Molarum curationem exhibet.

§. I.

Denique ſupereſt, ut de cura molarum quoque agamus, quæ triplici modo inſtitui debet, vel enim *ante partum*, *vel in partu*, *vel poſt partum* tentanda partim remediis pharmacevticis, partim manuali operatione, eaque promta. Remedia ante partum quod attinet, ea ſemper eo tendant, ut mater corroboretur, quem in finem confortantia præſcribenda ſunt. Quorum remediorum formulas tradere ſupervacaneum duximus, dum ubique proſtant, & ſaltem ſeligenda exquiſitiora, quæ morbo, ſubjecto & tempori convenientiora judicantur. Hoc ſi obſervabit Medicus, ad optatum finem prægnantem ducet, & mola ſuo tempore edetur.

§. II.

In Partu autem obſervandum, ne medicamentis præpoſteris gravidam turbet, hæc enim fere omnia apud parturientes plus nocent, quam proſunt, dum rariſſime optatus iſta concomitatur effectus. Hanc ob cauſam ſibi caveat, ne multa præſcribat. Et licet varia proſtent ſpecifica, quibus partum promoveri volunt, illa tamen expectationi minus reſpondere, ſed interdum majora excitare incommoda ex profeſſo docuit la MOTTE *l. c. Cap. XXVI. Lib. 2.* Caute itaque agat Medicus apud parturientes, ne propinando remedia, naturam in actionibus ſuis turbet, ſicque partum retardet. Quod ſi vero quædam deſiderantur medicamenta, cordialia ſuadeat, e. g. Conf. Alkerm. compl. vel incompl. Conf. de Hya-

 cinth.

cinth. & ſimilia. Clyſteres quoque hoc in caſu haud ſunt contemnendi, quippe qui non modo partes internas emolliunt, ſed & dolores quandoque parturientibus proliciunt His ſi nihil perfeceris, & mola ad ejectionem cogi nequit, ad extremum deproperandum eſt remedium, nempe ejus extractionem, quam multæ reſpuunt. Sed quia turris non dimovetur à flatu, à Medico intelligente ſemper proportio inter morbi magnitudinem, & remedii efficaciam ſervanda eſt, unde ſi prævidemus, quod intentum non obtineatur, manus uſurpandæ ſunt.

§. III.

Extractio autem molarum ſequentem in modum eſt inſtituenda, de mola nimirum ejusque adhæſione tactus ope certior factus, ſine mora parturienti æque ac adſtantibus præſentis hæmorrhagiæ enormis cauſam exponat, manualem extractionem, ceu unicum & præſentaneum vitam parturienti ſervandam remedium proponat, ac conſenſu obtento eam ita aggrediatur. Parturientem reſupinam lecto vulgari, vel huic negotio ſpeciatim adaptato transverſim imponat, ita ut clunium ſitus, per ſuppoſitas cuclitras, magis levatus, quam reliquarum partium ſit, quem ſitum accurate nobis *Experiens. Dn. D.* GLADBACH *Practicus Francof. ad Mœnum feliciſſimus, Amicus noſter æſtumatiſſimus in Diſſert. Inaugurali, cui titulus eſt, quod inſtrumenta in quovis partu difficili & præternaturali, nonniſi ſumma urgente neceſſitate in auxilium ſint vocanda. Lugd Batav.* 1732. *ventilata* deſcripſit. Hoc facto manum dextram vaginæ immittat, grumos ſanguinis ibi hærentes educat, mollitiem orificii uterini & inibi contentorum duritiem productionemque digito diligenter primitus exploret, hinc ipſum orificio intrudat, ſicque circinationis motu ſolicitus tentet, ut unum & alterum paulatimque reliquos digi-

digitos, sicque totam manum utero immittere queat. Hoc si obtinuerit, absque omni difficultate molam ab utero pededentim & patienter separet & extrahat. Quo facto momento citius hæmorrhagia cessabit, & sic morbus hicce multa mala imo mortem ipsam matri minans curatus erit. Ubi vero orificium uteri vel ob tumorem quendam illud occupantem, vel ob ejus callositatem nimis strictum fuerit & durum, ut nonnisi unicum admittat digitum, tunc operatio hæcce solo digito indice perfici haud poterit. Quamobrem instrumenta in auxilium sunt vocanda, quibus corpus hoc heterogeneum extrahatur MAURICEAU *in Tract. sæpe allegato Lib. II. Cap.* 31. nobis forcipem quandam, quam *Bec de Grüe* nominat, descripsit, cujus ope molas extraxisse se gloriatur. Quem & DIONIS *Tr. des accouch. Lib. II. Cap.* 16. secutus est, dum scribit: *mais si la mole est si grosse, qu'elle ne puisse pas sortir, on se servira pour lors d' un crochet, avec lequel on la tirera.* Alii solius indicis digiti auxilio istam perficiunt operationem, ad fundum nimirum uteri illum protrudendo, molam à parietibus uteri separando, quo facto, ultimum digiti hujus articulum incurvant, molam versus uterum premunt, sicque extra corpus eliminant. Quam periculi plena autem sit hæcce operandi enchiresis, fatebitur, quilibet cui notum est, ejusmodi pressione uterum facile lædi, sicque inflammationem excitari posse. Melius itaque ii faciunt, qui instrumento peculiari ad hoc negotium fabrefacto utuntur, ne vero & hocce uterus lædatur cavendum, & hac cautela opus est, ut digitum prius eidem immittat obstetricans, quo, ceu duce viæ, certus sit, se nihil aliud quam molam forcipe arripuisse, sicque operationem cito, tuto & jucunde peragat, matremque morti haud raro proximam pristinæ restituat sanitati.

§. IV.

Tandem ſupereſt, ut quædam de cura poſt partum dicamus, quæ ita inſtituenda, ut enormis ſanguinis jactura, quam ob hæmorrhagiam perpeſſa eſt, reſarciatur atque vires deperditæ reſtituantur. Quem in finem præſcribenda ſunt gelatinoſa, e. g. è raſ. C. C. Eboris, amygdalis dulcibus, medulla oſſium, cancris fluviatilibus cum jure carnium parata; vel lac aſininum. Balnea quoque hic haud exigui ſunt uſus; imprimis vero bonam obſervet ægrota diætam; atque ab omnibus animi pathematibus ſibi caveat, quippe quæ, uti in aliis morborum generibus, ita imprimis in hoc malo plurimum nocere ſolent, dum non ſolum retardant curationem, ſed etiam valetudini recuperandæ obſunt. Hæc autem ſi ſollicite attendantur, dubium non eſt, quin hoc modo priſtina valetudo reſtituatur, inque plures annos protrahatur.

§. V.

Curam præſervatoriam quod attinet, quam etiam quidam tradidere, hanc eandem eſſe judicamus, quæ alias de molis virginum ac viduarum commendari ſolet. Cum enim nullo modo impediri queat, ne ab aura ſeminali in coitu utero immiſſa ejusmodi ovulum ſubventaneum actuetur, ita etiam cura præſervatoria hic nullum habet locum, & nonniſi in cerebro illorum, qui & virginibus molas adſcripſere, exiſtit.

Et hæc ſunt, quæ de molis pro ingenii viribus cum B. L. communicare voluimus, defectum pro benevolentia ſua ſupplere & emendare velit, eſt quod obſervanter ab Ipſo petimus. DEO autem Ter Opt. Max. debitas exſolvimus grates, pro conceſſis ad hunc laborem viribus, cui etiam perpetua ſit Laus, Honor & Gloria.

TANTUM.

NOBI-

NOBILISSIMO AC PRAECELLENTI

DOMINO

WOLFFGANGO GEORGIO PARROT,

Fautori & Convictori hactenus suo Æstumatissimo,

JOHANNES SALZMANN, D.

Fac. Med. h. t. Prodecanus

ἐυπράττειν!

CUm in eo jam sis, NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, ut profectuum, quos cum in Almo Noricorum Lyceo, tum etiam nostro fecisti, publicum specimen exhibeas, non possum, quin DN. PARENTI Rerum Chirurgicarum Peritissimo & simul TIBI illud animitus gratuler. Neq; opus esse duco, industriæ, quam in studio Medico adhibuisti, argumenta è longinquo petere; quamdiu apud nos vixeras, in Anatomicis pariter ac Chirurgicis strenue TE exercuisti, non contentus, Spectatorem vel Auditorem illis exercitiis interfuisse, sed manum operi Ipse admovisti, probe perpendens, sectione cadaverum intimiorem, quam sola inspectione vel etiam Auctorum lectione cognitionem stupendæ corporis humani fabricæ acquiri. Non minus operationes Chirurgicas ab aliis administratas intuitus es, & Ipse juxta artis præcepta eas instituere non prætermisisti. Præ aliis vero arti obstetricandi

di operam dare TIBI placuit, in qua addiſcenda ita verſatus es,ut jactis in Theoria fundamentis ad Praxin TE accinxeris, Experientiamq; TIBI quammaxime commendatam habueris. Proinde etiam Diſſertationis Inauguralis loco Thema de Molis Uteri elegiſti, & præſentem ingenii TVI fœtum felici partu enixus es. Equidem uti abſtruſum & ab hominum intellectu remotum eſt generationis negotium, ita hoc potiſſimum, de quo impræſentiarum agis, denſis tenebris obvolutum, plurimisque difficultatibus intricatum merito appellatur. Sed hoc ipſo plus laudis TIBI accreſcit, qui in re tam obſcura tamque ardua extricanda & in lucem protrahenda vires Tuas experiri nullus dubitaſti. Et licet deformis minimeque vitalis jure dicatur moles illa carnea, cujus ortum & à conceptu genuino diſcrimen nobis tradis, TVVS in hoc ſchediaſmate labor ita comparatus eſt, ut formam eidem conciliet, & pene dixerim, vitam largiatur. Age itaque & pro hoc ingenii TVI fœtu tanquam pro aris & focis pugna, Medicæque Scientiæ Tuæ amplificandæ porro invigila. Sic fiet, ut quemadmodum DN. PARENS TIBI VENERANDVS Chirurgicam artem à longo abhinc tempore cum nominis fama feliciter exercuit, ita Tu Medicinam pari cum felicitate aliquando facias, & ab Utriusque cura & ſtudio uberrimi fructus in Patriam, inque ægrotos quamplurimos redundent. Perſcr. Argent. prid. Non. April. cIↄ Iↄcc xxxIII.

NOBI-

NOBILISSIMO ATQVE PRÆCELLENTI

DOMINO
WOLFFGANGO GEORGIO PARROT

Salutem & observantiam

D.

JOH. GODOFREDUS SCHEID.

Med. Doct. Practicus Argentoratensis & Obstetricans Juratus

Plura essent, NOBILISSIME ET PRÆSTANTISSIME DOMINE CANDIDATE, quæ pro themate inservire possent, quo TIBI omni laude digno congratuler. Cum autem de mente mea sincera TIBI satis superque constet, ideo absque verborum ambagibus, festinante calamo, & sic rudi minerva, de nunc superatis summa cum laude studiis Academicis, animitus gratulor, nullus dubitans, quin ea per tot annos diversis in Germaniæ Celeberrimis Academiis præprimis & hic Argentorati, omni diligentia pertractata, innume-

ra etiam productura sint emolumenta. In præsenti enim specimine Inaugurali luculentum diligentiæ TUÆ, NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, documentum nobis præbes, non modo aliorum observata, hinc inde in monumentis annotata, proferendo, sed novam plane & nondum ab aliis accurate descriptam DE *MOLARUM in utero generatione, conceptione atque extractione materiam nobis exhibendo. Uti institutum hocce TUUM doctis non displiciturum & præconio dignum judico, ita & pace TUA, NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, meæ qualicunque institutioni, mutuisque, quos suscepimus, laboribus gratulor, simulque spero, fore, ut nec TE peracti in subselliis meis temporis, nec me collatæ in TE operæ ullum tædium capiat. Gratulor igitur TIBI, de hoc pariter labore ac de utroque examine Doctorali, gratulor* Expertissimo Domino Parenti Tuo, *quem optimum nunquam non expertus es, atque animitus voveo, ut, superatis divino auxilio itineribus, quæ nunc aggressurus es, felix bonisque avibus ad patrios lares redux horum spem, patriæque exspectationem sustineas, atque dignos TUIS studiis & virtutibus laudatissimis Patronos assequaris. Vale NOBILISSIME AC PRÆCELLENS DOMINE CANDIDATE mihique, quod iterum iterumque abs TE efflagito, nunquam non fave.*

Deproperabam Argentinæ D. 29. Martii, 1733.

DEin Glücke/ Werthester/ braucht keines Wunsches nicht/
Es wird Dir ohne hin gewiß genug verbleiben/
Was aber schreibt mein Kiel? den wahrer Freunds-schaffts-Pflicht
Dein Wissen und Verstand zu diesen Zeilen treiben
Diß muß/ Geehrtester/ statt alles Ruhmes seyn/
Es schreibt Dich Straßburg selbst bey den Gelehrten ein.

Dieses wolte dem Herren Licentiaten zum beständigen Andencken schreiben/ und sich die fernere Continuation seiner Amitié gehorsamst ausbitten

Joh. Friderich Herel.
Med. Lic. Norimberg. Opp.

WAs GOTT/ Fleiß/ Müh und Kunst in Dich/ mein Freund/ geleget/
Erhellt an diesem Tag aus der geschickten Schrifft/

Die / weil sie sehr gelehrt / verwunderung erreget /
Und Dir ein grosses Lob bey den Gelehrten stifft.
Was Wunder ist es dann? Daß die so schöne Gaben /
Wie sie schon längst verdient / beziert die Ehren-Kron.
Und einen grossen Ruhm von allen Musen haben /
Ja jederman Dich ehrt als des Apollo Sohn.

Joh. Petrus Divoux M. C. Opp.

Du hast / Geehrtester / nunmehr das Ziel erreicht /
Wornach Dein muntrer Fleiß bißhero stets gerungen /
Den Krantz / so Dein Verdienst uns längstens schon gezeigt /
Hat Dir Apollens Hand nun um das Haupt geschlungen /
Erlaube / daß ein Freund / den stets Dein Glücke rührt
Dir mit Ergebenheit zu solchem gratulirt.

Joh. Christoph Mäy.

Mich hat zwar Phœbus nie mit seinem Geist erfüllt,
Doch heißt mich meine Lieb, **Mein Freund**, Ihm gratuliren.
Drum muß auch diese nur die Worte für mich führen:
Der Höchste schencke Ihm / der Weißheit Schwerdt und Schildt,
So wird Er seine Feind, mit welchen Er zu kriegen,
Mit höchstem Ruhm und Lob, nach allem wunsch besiegen.

Solches setzt zu Bezeugung aufrichtiger Freundschafft bey

H. K.

)o(



PRÆLOQUIUM.



Edicinam paucarum quondam herbarum fuiſſe ſcientiam, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim, &c. *L. Annæus Seneca Epiſt. 95.* teſtatur. Aſt quo anguſtioribus olim cancellis incluſus erat apparatus Medicamentorum, eo majorem in molem, immenſumque fere numerum hodierno die excrevit. Tantam quippe Remediorum farraginem nobis ſuppeditat Regnum Vegetabile nimirum, Minerale atque Animale, ut diſcentes, quænam ex iis ſeligant, neſciant, quin potius ingenia nimia eorum copia facile obruantur.

Quamvis vero decorum quam maxime ſit, ut Medicus omnium quantum fieri poteſt, remediorum habeat notitiam, ad omnis generis morbos debellandos atque profligandos, attamen ſelectus eorum, ut inſtituatur, neceſſe eſt, atque præſtantiora & uſitatiora præ minus talibus memoriæ magis mandentur. Inter talia uſu polychreſto atque evporiſto admodum ſe utique commendat CUMINUM, cujus virtutes eximias, cum, exantlatis nuper per Dei gratiam examinibus Doctoralibus, Licentia ab Excellentiſſimo Medicorum Ordine, Diſſertationem, uti vocant Inauguralem, conſcribendi, benigniſſime mihi conceſſa fuerit impræſentiarum, quantum ingenii tenuitas permittet, enodare animus eſt. Cæterum B. L. rogatus eſto, ut, ſi forte hinc inde hallucinatus fuero, exiguis id ingenii viribus velit condonare, atque conatus meos bono animo interpretari. Faxit Summum Numen ut feliciter!

§. I.

§. I.



Nter plantas aromaticas, quæ in uſum œconomicum, imprimis vero etiam Medicum cedere ſolent, non omnino infimum poſſidet locum CUMINUM. Licet enim rarius inter condimenta recipiatur, tamen ad eadem pertinere & guſtus & olfactus probat ſufficienter. Hinc etiam ETTMÜLLERUS *in Colleg. Pharmac. in Schrœd.* pronunciat. *Cuminum eſt quaſi Aroma quoddam noſtras*, qua in re præeuntem habuit PLINIUM, qui *in Hiſtor. Nat. L.* 19. *c.* 18. hæcce habet. *Condimentorum tamen omnium faſtidiis cuminum amiciſſimum.* Exulet itaque jam licet ex culinis Cuminum, tamen non eſt quæſtio de eo, quod actu contingit, ſed quod præſtari hac vel illa in re poſſit. Manebit interim ſemper Aroma egregiis virtutibus Medicis pollens.

§. II.

Vegetabile de quo ſermo eſt Græcis κύμινον appellatur, quod BODÆUS a STAPEL in *Theophr. Ereſ. Hiſtor. Plant. comment. l.* 7. *c.* 3. παρὰ τὸ κύειν, prægnans eſſe, derivat. Forſan autem à feracitate hoc nomen obtinuit. *Tantæ* enim, inquiunt PENA & LOBELIUS in *adverſariis ſtirpium novis, feracitatis eſt inter oleracea Cuminum, ut etiam maledictis ſatum uberrimum luxuriet, unde Cuminum quis, quaſi prægnans a* κύω *verbo manaſſe putet:* De qua methodo cuminum ſerendi conferatur ſupra dictus BODÆUS à STAPEL. Civitate hinc fuit donatum vocabulum Græcum, ita ut à Latinis appelletur, *Cyminum*, *Cuminum.* Dicitur etiam cum additamento κύμινον ἥμερον, *Cuminum ſativum, Cuminum hortenſe*, a cultura, *Cuminum Romanum*, quoniam ex Italia adfertur. Germani appellant Kümich/ Kümmel / Römiſcher Kümmel / Pfeffer-Kümmel / Kram-Kümmel oder Krämer-Kümmel / Linſen-Kümmel und Venediſcher Kümmel/ rechter Kümmel/ Galli vero Cumin nominant. Arabice atque Italice quomodo nuncupetur

annotavit TABERNÆMONTANUS in seinem Kräuter-Buch/ *l.* 1. *c.* 9. quem adire quis poterit.

§. III.

Umbelliferis Cuminum accenseri plantis Botanicorum consensus confirmat. SAMUEL DALE in *Pharmacol. seu Manuduct. ad Mater. Medic. p.* 2. *S.* 9. §. 14. *de herbis umbelliferis*, hæc tradit. Ab Ammi differt radice annua, foliis in lacinias minus crebras, nec adeo tenues dissectis, omnium partium quantitate minore, semine etiam angustiore. JOH. RAJUS in *Method. plant. emend. & auct.* sequentia pronunciat verba. Cuminum a Meo distinguitur radice annua, foliis in lacinias minus crebras, nec adeo tenues dissectis, semine minore angustiore incurvo. PAULUS AMMANNUS in *Charact. plant. natur.* ita hoc vegetabile describit. Cuminum est umbella foliis fœniculaceis, semine striato majore. Celeberrimus HERMANNUS BOERHAAVE hac ratione Cuminum descripsisse in *Histor. plant.* sub ejus nomine edita perhibetur. Caulis in multos ramos divisus, folia, ut fœniculi minutim incisa sed minora, flores in umbellam crescentes in summitate ramorum, coloris albi: Semina bina se invicem juncta, striata, oblonga, minima, acuta, coloris cineritii, viridescentis aut flavescentis, odoris penetrantis & ingrati, saporis plerumque acris subamarescentis, semine maturo radix perit. Cæterum convenit in omnibus cum fœniculo, semine saltim non largiori, radice minus crassa & sapore singulari. Videtur hinc non inepte egisse Magnus iste Botanicus JOSEPH. PITTON TOURNEFORT, quod in *Instit. R. H. cl.* 7. *S* 2. *g.* 1. Cuminum ad fœniculum retulerit, cujus characterem vide in dissertatione mea de fœniculo.

§. IV.

Non unam tantummodo plantam Cumini nomine insigniri in confesso est. Species autem, de qua hic

hic agitur, hæc eſt, Fœniculum Orientale, Cuminum dictum TOURNEF. J. R. H. Cuminum ſemine longiore C. B. Pin. 147. Cuminum ſive Cyminum ſativum J. B. 3. 2. 22. Cuminum Dioſcoridis Lob. Icon. 742. Meminit quidem alterius alicujus fœniculi orientalis, Cumini dicti ſemine villoſo, TOURNEFORTIUS & RAJUS *Hiſt.* 433. Sed hoc non eſt hujus loci, ſic quoque nunc non ſermo eſt de Cumino ſylveſtri capitulis globoſis C. B. Pin. quod Cuminoidis nomine inſignitur à TOURNEFORTIO, multo minus de Cumino pratenſi ſive Carvi officinarum. Licet enim hoc ultimum quam maxime ſit uſuale, nihilominus peculiari indagationi relinquendum judico, cum ſit vegetabile uſus admodum polychreſti.

§. V.

Si in patriam Cumini inquirimus, utique dubium nullum eſſe videtur, illud in regionibus Orientalibus & Calidioribus provenire potuiſſe, & adhuc dum provenire, quare non contradicendum videtur LINSCHOLTANO, qui apud Indos & Perſas Cuminum creſcere, atque inde copioſe in Europam advehi teſtatur. Hoc interim conſtat, quod Cuminum ex Italia in Germaniam & ad nos devehatur, ſive jam in Apulia, aut alia provincia proveniat atque colatur, ſive ex Inſula Melita, quæ vulgo Malta hodie dicitur, obtineatur. Audiri hac de re meretur C. BAUHINUS in *Pin. l.* 4. *S.* 4. ita diſſerens. Cum Dalechampii in Plinii *l.* 20. *c.* 15. notas legiſſemus, ex Melita duplex Cuminum, utpote acre & dulce adferri, & apud Megiſerum in Melitæ deſcriptione idem inveniſſemus, ejus nomine ut haberemus, laboravimus, quare utriusque ſemen è Melita inſula transmiſſum fuit, alterum oblongum, acuminatum, coloris ſordidi, graveolens, & ſapore acri, cui Cimonagero, id eſt Cuminum ſylv. inſcriptum erat: quod cum Cymino Æthiopico officinarum convenit. Alterum

vero multo minus, Aniſo ſimile, candicans, guſtus lenioris & ſubdulce, quod nomine Cimonagero dulce miſſum. Melitenſes copioſe illud ſerunt, ad panem condiendum, & ad mercaturam cum eo exercendam. Apud nos in hortis tantum colitur, ſed rarius, cum alterum ſit præſtantius.

§. VI.

Plantam JOH. BAUHINUS *Hiſt. plant. l. 26. de umbelliferis c.* 15. ita ex Cordo deſcribit. Cuminum ſativum, ſive ut aliqui ſcribunt, Cyminum, parva & umbellifera herba eſt, altitudine raro pedem excedens (Cæſalp. annua planta brevior cubito) tenuibus & in plures anguſtas partes ſectis foliis (foliis paucis, raris capillis Cæſalp. & flore candido) ſemine in umbellis (paruis & rotundis Cæſalp.) oblongo, utrimque acuminato, anguloſo, cartilagineo, in cineraceo colore ſubflavo, longitudine quartam unciæ partem æquante, guſtu ſubamaro tenui, mediocriter acri & cum gravitate ſuaviter odorato.

§. VII.

Uſum Cumini ſi conſiderare volumus, facile deprehendemus, quod præter ſemen vix alia plantæ pars in uſum cedat, præſertim, cum apud nos non colatur, & rariſſime etiam in ipſis hortis compareat. Nihilominus tamen Herbam Cumini quidam ad aſthma commendant. Sic PAUL. DE SORBAIT *Pract. Med. P. I. c.* 44. hæc ediſſerit. Herba Cumini in prævigilio S. Johannis collecta, & ſuffumigii loco adhibita, vel ex ea pediluvium confectum, vel etiam ejus decoctum plurimum ad aſthma conducere, compertum eſt. Id quod tum de Cumino ſativo, de quo hic ſermo, tum de Cumino pratenſi, quod alias Carvi vocatur, intelligi poterit. Semen autem Cumini quod concernit, equidem à quibusdam in culinis uſurpari aſſeritur. Ita ab ADAMO LONICERO de *natur. & virib, plant.* pronunciatur, quod

Cu-

Cumini ſativi plurimus hodie in cibis ſit uſus. Juxta HIERONYMUM TRAGUM de *Stirp. Hiſtor. comment. l. 2. c. 19.* Cuminum ſativum in cibo veluti piper uſurpatur. A quo etiam non diſſentit TABERNÆMONTANUS, dum l. cit. ſequentia apponit verba germanica. Der Pfeffer oder Römiſch Kümmel wird heutiges Tags nicht allein innerlich und äuſſerlich zur Artzney gebraucht / ſondern er hat auch ſeinen Platz bey den Köchen funden / die denſelben in den Speißen gebrauchen / und dieſelbe damit einmachen. Nam, ut DODONÆUS *Stirp. Hiſtor. pempt. 2. l. 5. c. 5.* pronunciat, quod in cibis flatulentum, Cumino addito corrigitur. Sed ut ſupra jam dictum fuit, vix non omnimodo uſus ejus culinaris exolevit. In Medicina autem frequenter adhuc uſurpatur.

§. VIII.

Antequam autem utilitatem, quam præſtat hoc ſemen exponamus, haud omnino abs re erit, illius ſubſtantiam & naturam luſtrare. Ita autem ejus deſcriptio traditur a PAULO HERMANNO in *Cynoſ. Mater. Med. c. 5.* Sunt Cumini ſemina ſtriata oblonga, ex cinereo ſpadicea, fœniculi ſeminibus longiora, & craſſiora : Sapore acri aromatico ingrato. Ob quam ingratitudinem à quibusdam tantum pro uſu externo ſuadetur, & ſemen Carvi tanquam gratius pro uſu interno præfertur. Nihilominus tamen intus quoque exhibere illud licebit. Quod autem in Diſſert. de Fœniculo monitum fuit, illud quoque & hic valet, quod nempe hæc ſemina debeant eligi recentia quantum fieri poteſt, plena ſucculenta, oleoſa non furfuroſa aut carie eroſa, à ſordibus pedunculis & aliis extraneis bene repurgata. Non invenimus hac in re diſſentientem JOH. BAUHINUM, *l. c.* hunc in modum loquentem. Cæterum Cuminum eligitur plenum, flavum aut pallidum, purum, intus pingue, veluti liquore aut oleo madefactum minimeque aceroſum. Notandum etiam, quod

&

& ſemen hoc diutius quam par eſt aſſervatum, viribus orbetur ſuis, & vel vermiculis erodatur, aut nimis amereſcat.

§. IX.

Conſtant hæc ſemina, ut PAUL. HERMANNUS *loc. cit.* docet, ſale aromatico oleoſo temperato, aut, ut ETTMÜLLERUS loquitur, vis ejus uti ſeminis Aniſi, Fœniculi, Anethi, Carvi, &c. conſiſtit in oleo ſalino temperato, aromatico, quare utique etiam ferculorum poterit eſſe condimentum. Major quoque Cumino gratia conciliari poteſt, ſi, ut aniſum atque fœniculum, ſaccharo quoque obducatur & incruſtetur. Refertur inter ſemina quatuor calida majora, quæ hæc ſunt, Cumini, Carvi, Fœniculi, Aniſi. Facile ex hiſce partibus conſtitutivis & inde emergente craſi, pateſit inſignis Cumini ſtomachica virtus. Conducit namque, ut ait ETTMÜLLERUS, ſtomacho & in affectibus inteſtinorum cum inflatione ſtomachi & tympanitide ex cruditate acida in primis viis egregium eſt. PETR. de BAYRO in *Enchir. de Medend. human. corp. mal. l.* 11. *c.* 6. ita diſſerit. Cuminum quomodcunque ſumptum digeſtionem confortat: vinum vero decoctionis ejus cum fœnugræco dolorem ſtomachi & inteſtinorum torſiones ex ventoſitate tollit. Ad appetitum hinc excitandum, concoctionem aſſumptorum juvandam deprædicatur, quem in finem Tragæis ſeu ſic dictis pulveribus pepticis admiſcetur, uti & aliis formulis ſolet adjungi. TABERNÆMONTANUS ſequentes nobis commendat formulas. ℞. Seminis Cumini pulveriſati ʒj. diluatur in vino generoſo & aſſumatur mane jejuno Ventriculo contra dolorem ſtomachi, qui exinde profligatur. Qui torquentur Cardialgia continua ſequenti utantur electuario. ℞. Seminis Cumini pulver. ℥j. Mell. deſpum. ℥iij. f. elect. de quo mane tantum quantum aliquot cultri cuſpidibus capi poteſt, ægrotantes aſſumant. Nec ſequens

reſpuenda

respuenda videtur formula. ℞. Semin. Cumini pulv. ℥j. Piper. nigr. folior. rut. ſiccat. ana ℥ß. pulveriſatis adfunde Oxymell. ſimpl. ℥vj. Mſc. ſervetur in vitro & vaſe lapideo. Quodſi de hac mixtura quis quotidie jejuno ſtomacho aſſumat cochleare plenum, digeſtionem promovebit, & appetitum imminutum redintegrabit. Sicuti talia etiam remedia ex Cumino ſtomachi nauſeam avertunt, uti monet LONICERUS. Imprimis autem inter remedia carminativa non infimum obtinet locum, viſcidum nempe attenuando, corrigendo cruditates acidas & hinc ſtomachi, inteſtinorumque flatus diſſipando & expellendo. Quem in finem audiamus TRAGUM, qui *l. c.* in ſequentia erumpit verba. Sunt qui cum Cicere arietino ſeu piſis concoquunt, nec ſine præcipua utilitate, ſiquidem inflationes quasvis & flatus ventris diſcutit, phlegmata lentosque incidit humores, ſtomachique nauſeam tollit. Qua in re conſentientem experitur DODONÆUM *l. c.* ita dicentem; intro aſſumptum Cuminum flatus extinguit, tormina torſionesque ſedat. Unde in Colica præſertim flatulenta, tympanitide & ſimilibus affectibus locum habere poteſt. Ad flatus autem diſcutiendos imo præſervandos ſunt, qui ſuadent, ut quotidie aſſumatur hoc ſemen ad ʒj. usque. Qua tamen in re & illa ipſa cautela, quam in diſſertatione de Fœniculo appoſuimus, obſervanda venit, ne vel nimis diu decoquatur, quoniam volatile hoc ipſo nimis abigeretur, nec nimium uſurpetur, cum malum adaugere hoc modo capax eſſet. Sic rurſus TABERNÆMONTANUS *l. c.* præcipit, ut ſemper Cuminum ante epulas uſurpetur. ℞. Sem. Cumini, Sem. fœnugræci ana p. æqu. coqu. in vino, & quotidie de hoc decocto hauſtum aliquot unciarum aſſume. Flatibus medebitur illosque diſcutiet, & dolores ventris mitigabit, id quod non minus ſequens præſtabit pulvis. ℞. Cumin. ℥ß, radic. aut ſemin. Pimpin. ʒj.

Ventriculorum Gallinaceorum interiorum tunicarum No. vj. bacc. laur. excortic. No. vj. gran. Piper. No. xxxx. f. pulvis qui assumendus in vino, in quo infusum erat anethum. Conducet egregie in torminibus ventris. Sunt qui ad dolores colicos sopiendos hanc prædicant mixturam. ℞. Sem. Cumini ℥j. Sem. fœnic. ℥ß. Sem. Aneth. ʒij. Caric. pingu. No. x. concis. & contus. coqu. in Vin. generos. ℔iij. ad remanentiam duarum partium, postea assumatur haustus aliquot unciarum mane & vesperi. TABERNÆMONTANUS *l. c.* atque SEBIZIUS in *Tragum. l. 2. c.* 119. tale consulunt enema ad profligandos dolores colicos. ℞. Sem. Cumin. man. j. Ol. Oliv. ℔j. vin. alb. ℔ß. coq. invicem ad consumptionem vini, oleum postmodum colatum injiciatur. Quo diutius talis clyster retinetur, eo meliorem edet effectum. Notandum autem utique est, ne ejusmodi clysma oleosum nimis calide applicetur.

§. X.

Cum à cruditate acida, pituitosa atque flatuosa non raro oriatur singultus atque ructus, & huic malo obviam ire poterit nostrum vegetabile, si vel per se assumatur ad ʒß. ʒj. in vino aut aceto, aut in his decoquatur, vel cum aliis remisceatur, v. gr. ℞. Sem. Cumin. ʒvj. Sem. aneth. ℥ß. Piper. ʒj. fiat pulvis, de quo ʒj. sumatur in vino aut alio vehiculo, singultum atque etiam eructationes curabit. Non solum autem ventriculi & intestinorum flatibus medetur, sed & aliis infimi præsertim ventris auxilium fert flatulentiis, v. gr. inflationibus Hepatis atque Lienis & exinde provenientibus doloribus. Imo, ut LONICERUS habet, omnes corporis inflationes cohibet, unde & in cardiaca infantum suam promeretur laudem. Non tantum autem usu se commendat interno, sed & externo. Sic in oleo coctum cum polenta hordei, superpositumque ventri torsiones sedat & tumores. Contusum & sacculo inditum

extrinſecus applicatur, ut ſtomacho frigido ſuccurrat. Quandoque aſſumitur cruſta panis, torretur, maceratur in vino, & conſpergitur pulvere Sem. Cumin. applicaturque ſtomacho, quem roborat, dolentem mulcet & flatibus turgenti ſuccurrit. ℞. Sem. Cumin. Sem. Aniſi, Sem. Nigell. Menth. Criſp. ana ℥ß. f. pulvis, qui cruſtæ panis ſecalini calefactæ & melle inunctæ inſpergendus, atque ventriculo applicandus eſt, pro doloribus ejusdem ſedandis. Poſſet & panis toſtus ſumi, qui aceto forti imbutus aſpergendus pulvere Cymini & Caryophyllorum, ventriculoque imponendus calidus. Qualem effectum etiam experimur, ſi Cuminum & herba Polii in aceto decoquantur, & poſtea ſpongia decocto madefacta adhibeatur.

§. XI.

Non ſolum autem in inflammationibus ventriculi & inteſtinorum conducit Cuminum, ſed & in inflatione lienis, aliarumque partium prodeſt. Juxta ETTMÜLLERUM uſus ejus egregius eſt in herniis, præſertim pnevmatocele & hydrocele: tumores enim teſtium ac ſcroti ex flatu aut aquoſo humore ſub forma cataplasmatis additum cito tollit recenſente DODONÆO. Cum enim hernia ſæpius ortum trahat à flatulenta diſtenſione, vel ſpasmodica inteſtinorum affectione, & in tali caſu durities inde orta blandis fomentis externis reſolvenda, & internis aromatibus ſiſtenda, pro his ſcopis, interno imprimis conveniunt ſemina quatuor calida majora, quocunque modo uſurpata, ſpeciatim HELMONTII exemplo in vino bullita, qui author hæc ſemina quatuor calida ſolamen pauperum nominat. Uterinum quoque exiſtit remedium celebre, quoniam enim carminativum eſt mulieres à doloribus in abdomine, hypochondriis & aliis locis, ubi malum à flatibus præſertim ortum duxit, liberat. REINERUS SOLENANDER *in Conſil. Med.* S. 4. *Conſ.* 8. hæc verba reliquit.

Cyminum est mirabile in confortando matricem, & auferendo ejus ventositatem, & constringendo menstrua alba & rubra, ut dicit Serapio. TABERNÆMONTANUS ad inflationem uteri sequens commendat pessarium, ℞. Cumin. Rom. pulver. ʒiij. Sal. Gem. ʒj. Pulp. Caric. pingu. ʒiß. Msc. fiat pessarium linteo involvendum, lacte muliebri imbuendum & applicandum. Ad dolores post partum leniendos quoque deprædicatur. ℞. Cumini ℥iß. flor Chamom. Sem. fœnugræci, Sem. Lini ana ℥j. f. pulvis, cui adde farinæ fabarum ℥j. butyri non saliti recentis ℥iß. pinguedinis gallin. ℥j. Msc. f. cum oleo irino emplastrum abdomini imponendum. Vel ℞. Cumini pulverif. ℥iij. vitell. ovor. indurat. No. vj. cum oleo lilior. vel aneth. f. l. a. cataplasma, calide apponendum. CRATO *in Consil.* asserit sequens emplastrum sedare dolores post partum. ℞. 3. vel 4. Cepas parum coctas, contunde, adde Cumini pulv. Man. j. flor. Chamom. contuf. tantundem, farin. hord. q. s. extendatur linteo, & umbilico applicetur, addi etiam potest farina sem. lini; cum exsiccatum est renovetur. Si dolores ad pedes usque tenduntur, menstrua sua profluentia panno imbuta ibi applicentur. ETTMÜLLERUS in *Colleg. Pract. de mulier. morb.* hocce commendat remedium. ℞. Cepas in aqua coctas No. iij. vel jv. his comminutis adde pulv. semin. Cumini, sem. Lini, flor. Chamom. ana mj. farin. hord. q. s. cum sufficiente quantitate aquæ, in qua cepæ coctæ; f. cataplasma, quod abdomini infra umbilicum calide applicetur. Licet autem dictum sit, quod in pesso adhibitum mensium nimium fluxum cohibeat, interim tamen interne usurpatum eadem quoque menstrua promovere poterit, quam ob rem ETTMÜLLERUS hunc in modum disserit. Porro menses stimulat, & in specie dolorosos & molestos promovet, & tormina abdominis convulsiva juncta, item tormina parturientium notha. die falschen Wehe egregie compe-

scit

ſcit, in cereviſia calida ebullitum, & propinatum, adeo ut recte ſemina 4. calida HELMONTIO dicantur inteſtinorum ſolamina. In paſſionibus Hyſtericis egregie ſe habet Cuminum. Nam ſi mulier quædam tentatur tali affectu, non opus habet, quam ut Cuminum carbonibus injiciat, & ſuffitum exinde ad genitalia bene admittat, ſic enim motus iſti hyſterici inſigniter ſopientur. Laudatur porro ad ſterilitatem arcendam, ſi vel frequentius illud olfaciant mulieres, vel in vino decoctum Cuminum ſæpiſſime abdomini & imprimis regioni uteri applicetur. Ad fluorem album ſequentem formulam laudat TABERNÆMONTANUS, ℞. Cumini, thuris, Gummi Juniper. Macis ana part. æqu. f. pulvis. Qui hoc modo uſurpatur. Ægra mulier cubitum itura lumbos bene oblinit melle, poſtmodum inſpergit prædictum pulverem & linteaminibus obtegit, hocque per decem noctes repetit.

§. XII.

Licet Cuminum non adeo exiſtat diureticum, nihilominus conducere poterit in affectibus Urinariis. Hinc ex vino dulci ſumptum, difficultati mingendi & ardori urinæ auxiliatur. Non ſemper autem requiritur vinum dulce, ſed & in vino ordinario ad unum aut alterum pugillum aſſumptum ſtranguriæ medetur. Quidam ad gonorrhœam uſum Cumini ſuadent. LONICERUS & TRAGUS docent, quod Cuminum cum vino albo à balneo potum regium expellat morbum, ſive icterum profliget. Anthelmintica porro virtute non deſtituitur. Ad ſingultum a quibusdam, ut ſupra jam dictum, commendatur. SENNERTUS *l.* 3. *Med. Pract. p.* 1. *S.* 1. *c.* 10. ita loquitur. Caſtoreum, inquit Trallianus, alligatum cito ſingultum ſanat; Idem facit Cuminum panniculo linteo inditum, & carpo ſiniſtro manus alligatum. Præterea facit ad emendandum anhelitum. Hinc veteres in embammate uſurpabant, quæ

ad εὐςομίαν parabantur, & os ſuave facere conſuevere. Verumtamen pallorem bibentibus gignit juxta PLINIUM *l.* 20. *c.* 14. ubi ſequentia adjecta reperimus verba. Ita certe ferunt Porcii Latronis, clari inter magiſtros dicendi, aſſectatores, ſimilitudinem coloris ſtudiis contracti imitatos: & paulo ante Julium Vindicem aſſertorem illum à Nerone libertatis, captatione Teſtamenti ſic lenocinatum. Quem in locum ita quidam commentatur de Julio Vindice. Cum ejus teſtamentum ac hæreditatem Nero captaret: Sic ille Principis cupiditati lenocinabatur, ut ejus amicitia ſummos honores adipiſceretur: dum pallido interim colore ſimularet adverſa valetudine ſe premi, atque adeo brevi interiturum. Rationem hujus effectus reddit ex Avic. & Serap. CASP. HOFFMANNUS de *Medicam. Officin. l.* 2. *c.*77. quod nimius uſus id faciat. Quia enim vehementer diſcutit & conſequenter ſiccat, foris quidem abſumit id ſanguinis, quod floridam faciebat cutim, intus autem mutat ſanguinem in bilem.

§. XIII.

Becchicum quoque ſive pectorale remedium exiſtit egregium: pectus namque calefacit, expurgat; & expectorationem promovet. OTHO BRUNFELSIUS *Simpl. Pharm. tom.* 3. *Rapſod.* 59. hac de re ita loquitur. In vino & aqua, vel aceto & aqua æquis partibus coctum aſthmata relaxat & reſolvit; cui conſenſum largitur DODONÆUS *l. c.* hæc enuncians verba; utile quoque pectori & pulmonibus refrigeratis, ac humorum copia gravatis in ſorbitione aliqua ſumptum. Cum ficubus in vino coctum & bibitum, tuſſim ſedat & thoracem expurgat. TABERNÆMONTANUS ad tuſſim ſequentia commendat. ℞. Cumin. pulver. ℨß. Mellis Virginei deſpumati, Butyri recentis non ſaliti ana ℥iij. Mſc. f. eclegm. de quo lambatur aliquoties de die cochleare parvum. Conducet & adultis & junioribus. Vel ℞. Cumin.

Cumin. Piper. Sem. Urtic. ana ℥j. cum Mellis Virginei ℥xii. f. eclegma cochleatim ſumendum. Ad raucedinem & vocem claram reddendam ſequentes comendantur trochiſci. ℞. Cumini ℥ij. Succ. Liquir. ʒvj. Myrrh. ℥ß. Piper. alb. gran. N°. xvj. Miſceatur cum melle & ſapa, & addendo Tragacanthæ in ſapa diſſolut. q. s. f. l. a. trochiſci. Sic quoque externe in raucedine laudatur, dum cuminum pulveriſatum cum melle, & oleo amygdalarum dulcium mixtum pectori illinunt. Poterit etiam cum radice Polypodii & foliis Rorismarini decoqui, decoctum melle edulcorari, & ad aliquot uncias aliquoties de die hauriri ad raucedinem abigendam. Quem in finem etiam cum radice helenii poterit commiſceri. Nonnulli ad palpitationem cordis Cuminum ſæpius maſticatum prodeſſe perhibent.

§. XIV.

Cephalica porro virtute præditum eſſe Cuminum ſunt qui docent, cum enim ſale aromatico oleoſo conſtet, in capitis affectibus utique prodeſſe poterit. Juvat vertiginoſos ſive malum ſit ortum per idiopathiam ſive devteropathiam; ſuadent hinc ut Cuminum mane & veſperi maſticetur; pro majori autem gratia Cuminum Saccharo incruſtatum præferunt. Nonnulli Cuminum pulveriſatum cum aceto miſtum fronti imponunt ad arcendam vertiginem. Ad dolores capitis idem remedium à multis ſuadetur; uti & ad catarrhos, ut loquuntur, frigidos ſacculi Cumino & baccis Lauri repleti imponuntur capiti; ſuffitus quoque ex Cumino carbonibus ignitis injecto, aut vapor decoctionis cumini naribus excipitur. Ad tinnitum & ſuſurrum aurium idem ſuffitus vapor deprædicatur. Alii Cuminum miſcent cum butyro & aqua calida, aurique guttatim inſtillant pro eodem ſcopo, ut & ad ſanguinem congrumatum ibidem detentum reſolvendum. Multi ad Odontalgiam æque ac Otalgiam hoc ſuadent remedium.

℞. Cu-

℞. Cumin. pulver. p. ij. Myrrhæ ℥ß. Elat. ʒij. fac exinde paſtam, & forma turundas, quas lacti muliebri intinctas naribus immitte, perque ſemihoram & ultra relinque, poſtmodum extrahe, & nares fortiter emunge. Nonnulli ſacculum Cumino, Sale & Milio refertum calide, quantum fieri poteſt, vertici capitis applicant ad dolores dentium ex defluxionibus ortos. Ad memoriam quoque roborandam uſu tum interno, tum externo contribuere perhibetur.

§. XV.

Pronunciante ETTMÜLLERO omnia ea, quæ de Aniſo dicta ſunt, ad Cuminum quoque applicari poſſunt; hoc tamen excepto, quod illud lac promoveat, hoc vero iſtud intercipiat, præſertim uſu externo, nam & interno uſu lactis generationem promovere poſſe, ſunt qui contendunt. Ad lactis autem fluxum nimium arcendum applicatur cum linteaminibus imprimis in aceto decoctum. JOS. QUERCETANUS in *Pharmacop. Phytolog. c.* 3. *n.* 4. hæc habet, Cyminum cum aceto tuſum & applicatum intra paucas horas tanquam incantamento quodam lactis proventum arcet, & jam generatum expellit, quod per tranſennam dictum ſit. SENNERTUS *l.* 4. *Prax. Med. p.* 3. *S.* 2. *c.* 2. dicit, quod crocus & Cuminum collo appenſa, ut mammas attingant, etiam lac abſumere credantur; qua in re conſentientem experitur HIER. MERCULIALEM de *morb. mulier. l.* 3. *c.* 2. ita differentem, ad lac minuendum conveniunt intinctus ex aceto, Cumino, Croco. Nam noſtrates mulieres doctæ longa quadam experientia, ubi volunt lac exiccare, appendunt ſibi crocum aut Cuminum, quæ licet id facere exiſtimentur propria quadam virtute, tamen efficiunt etiam, quia exiccant. Et Cuminum à natura hac facultate donatum eſt, ut a ſeſe ſanguinem repellat, propter quod legimus apud PLINIUM *l. c.* Veteres uſos eſſe Cumino ad conciliandum

dum vultus pallorem. Supra dictus SENNERTUS *l. c.* ſequentes commendat formulas. ℞. Sem. Cymin. q. v. Coqu. in aceto. In decocto madefiat ſpongia recens. & mam̃is arcte imponatur. ℞. terebinth. aqu, menth. lot. ℥iij. pulv, ſem, Cumin. rad. ireos, menth. ana ℥iß. Croci ℈j, Ceræ q. ſ. f. Ceratum molle, conducibile etiam eo in caſu, ſi metus ſit, ne mam̃æ ob nimium lactis affluxum inflam̃entur.

§. XVI.

Hanc autem virtutem diſcutientem aliis quoque in caſibus exerit hoc ſemen. Sic prodeſt in ſugillationibus Cuminum in pulverem tritum, & ceræ ad ignem com̃iſtum. Ita quidam parant emplaſtrum ſeu ceratum ex pulvere ſeminis Cumini, Aniſi, cum cera ac terebinthina & cum fructu ad ſanguinem coagulatum reſolvendum imponunt. Ad tumores pedum diſcutiendos quidam ſuadent, ut pedibus prius oleo florum liguſtri inunctis inſpergatur pulvis ex ſeminis Cumini & Salis Nitri partibus æqualibus paratus. Juxta TRAGUM Cuminum probe arefactum ac contuſum, cumque melle roſaceo & cera temperatum ac impoſitum, teſtium inflam̃ationibus, collectionibusque auxiliari dicitur, doloremque ſedare. ℞. Cumin. pulver. & farinæ fabarum ana partes æquales cum ſuff. qu. mellis f. cataplasma, teſtibus tumentibus applicandum. OTHO BRUNFELSIUS aſſerit, quod Cuminum cum uvis paſſis emplaſtri modo impoſitum pudendorum inflationes reſolvat. In affectibus quoque faucium, & præſertim tumoribus earundem reſolvendis celebratur, ſi Cuminum cum caricis & ſemine fœniculi in vino decoquatur, & os atque fauces decocto calido diligenter colluantur. Ad anginam tale ſuadetur Emplaſtrum. ℞. Cumini ℥j. ſum̃it. abſinth. imprimis recentis, farinæ hordeaceæ, ana ℥ß. alb. græc. ℥iij. pulver. &. c. ſ. q. Mellis f. Empl. collo calide circumponendum.

§. XVII.

Discutiendo quoque prodest Cuminum in variis oculorum affectibus. Sic suadent, ut cum pulvere Cumini, cera nova, melle rosaceo aut albumine ovi paretur emplastrum vel cataplasma, quod oculis contusis medetur, tumorem resolvendo, dolores abigendo, & sanguinem suffusum atque congrumatum resolvendo. Pulvis Cumini cum cera ad ignem mistus tollit omnem livorem secure. Quidam Cuminum cum succo rutæ comiscent, & cum gossypio oculis applicant ad suffusiones curandas. MARCELLUS CUMANUS in *Observ.* hæc habet, Passionibus oculi sine vulnere à contusione vitell. ov. rec. coquass. cum oleo rosac. rut. & pulv. Croc. vel ℞. Sem. Apii, & cum cera virginea & pulv. Cymin, Msc. & tepidum superimpone. TABERNÆMONTANUS jubet, ut ex ovo perforato albumen emittatur, & in ejus locum pulvis Cumini imittatur, postmodum cum vitello optime uniatur, ovum deinde calore cinerum ad duritiem coquatur, in duas partes dissecetur, & calide, quantum perferri poterit, oculis adhibeatur. Non solumodo autem contusis prodest oculis, sed & iisdem claris atque nitidis reddendis inservit, dum vel decocto Cumini in vino oculi foventur, vel halitus Cumini masticati admittatur. Ad pruritum in oculis dissipandum applicant aut oculo imittunt Albumen ovi cum pulvere Cumini remixtum, aut saltem ejus virtute imbutum. Nonnulli Cuminum albumine ovi temperatum cum mica panis secalini frequenter applicant.

§. XVIII.

Virtutem quoque subadstringentem possidet; hinc in hæmorrhagiis à nonnullis utile perhibetur. Sic OTHO BRUNFELSIUS tradit, quod Cuminum ex aceto contusum sanguinis fluxiones è naribus & menstrua compescat. Consentit de BAYRO *l. c. lib.* 5. *c.* 7. dicens,

Cu-

Cuminum tritum cum aceto odoratum ſiſtit fluxum ſanguinis narium. LONICERUS & TRAGUS perhibent, quod Cuminum ſativum tuſum naribus inditum ſanguinis è naribus profluxum ſiſtat. In teneſmo quoque ſuo non deeſt officio. ℞. Cumini, Reſin. alb. Ceræ ana p. æqu. Mſc. poſtmodum carbonibus ignitis injice, & ſuffitum ano excipe. Alii ſequens comendant remedium. ℞. Cumin. pulv. q. ſ. cum ſtyrac. liquid. f. emplaſtr. applicandum. Prodeſt autem, ſi prius foveatur pars affecta vino, cui incoctum fuit Cuminum. Ad podagram laudatur, ſi membra decocto Cumini foveantur. Licebit etiam uſus, quos extra Medicinam exerit, paucis recenſere. Fumus ſcilicet Cumini in conclavibus accenſus culices abigit & necat. Id quod etiam præſtat, ſi parietes decocto Cumini cum vino conſpergantur, quo ipſo etiam pulices fugari perhibetur. Quodſi quis maſticet Cuminum, & ſucco poſtmodum obliniat faciem, manus, aliaque membra, à culicibus tutus erit. Quidam Cuminum ſuſpendunt in Columbariis, odorem enim ejus ſequuntur Columbæ. Alii Columbis Cuminum, vel per ſe, vel cum lentibus in aqua mulſa maceratum, devorandum intrudunt: ſic enim illas retineri, & non avolaturas ſibi perſuadent. Addamus hac de re loquentem POMET *Hiſt. de Drog. l.* I. *c.* 10. Quelquesuns ſe ſervent du Cumin pour peupler les Colombiers, en ce que les Pigeons en ſont fort frians, apres avoir eſté incorporé avec une terre ſalée, que les Pigeons decouvrent eux mêmes à la campagne, ou d'une autre terre imbibée d'urine, ou de ſaumure des molnës, ou autres ſemblables, c'eſt ce qui fait qu'il y a des endroits, ou il eſt deffendu aux Marchands d'en vendre. Non dicam jam de uſu quem Veterinariis præſtat Cuminum.

§. XIX.

Supereſt, ut quoque videamus quænam ex hoc noſtro vegetabili proſtare ſoleant præparata. Putant quidam Cuminum, antequam in uſum trahatur, præparationem quandam debere ſubire. Hæc autem ita inſtitui debet. Cumini ſemina optime repurgata per unum aut alterum diem in aceto macerantur, deinde ſiccantur & reponuntur. Videtur autem hæc præparatio ſupervacanea eſſe, cum exiccatum Cuminum pravam habere qualitatem quotidiana experientia teſtetur. Præterea inefficacius eſt, nam quod de præparatione Coriandri pronunciat JOHANNES ZWELFERUS in *animad. in Pharmacop. Auguſt.* id & de Cumino valet, quia exiccando Cuminum aceto imbutum, exhalat ejus vis carminativa & balſamica una cum aceto, & remanet Cuminum potioribus ſuis virtutibus ſpoliatum. TABERNÆMONTANUS ſequens vinum cum Cumino, quod Cyminites vocat, jubet confici. Ita autem ejus præparationem docet. ℞. Cumini præparati (vel quod melius, Cumini ſimpliciter repurgati) pulveriſati & ſacculo lineo incluſi ℥ix, imitte muſti ℔. LXXX. ſive cantharis XV. menſuræ Alſaticæ, & ſimul fermentationem ſubeant. Quo autem citius inclareſcat hoc vinum, ſuadet, ut doliolo quoque indantur ramenta ligni Corylini, aut Fraxini. Laudatur tale vinum a Marcello Empyrico tanquam remedium cordiale, ſtomachicum atque ſpleneticum, diureticum item & Lithontripticum, aut ſaltem calculi præſervatorium. Poterit etiam in reliquis morbis ſupra allegatis uſui venire, cæteris ſcilicet paribus. Quibus volupe eſt, illi poſſunt etiam ſaccharo obducere Cuminum, ut major ei concilietur gratia. Sic tanquam pepticum remedium & anhelitus fœtorem corrigens poterit vel per ſe uſurpari, vel cum aliis remiſceri.

§. XX.

§. XX.

Officinæ aſſervant aquam Cumini, quam obtinent per deſtillationem ex ſemine ſolo, quæ quidem virtute ſtomachica gaudet atque carminativa, ſed paulo rarioris eſt uſus, præſertim cum etiam non tam grati ſaporis ſit ac aqua aniſi & fœniculi. Magis celebratur & uſurpatur, quod una cum aqua obtinetur, oleum deſtillatum, quod quidam credunt copioſius obtineri poſſe, ſi ſal vel cōmune vel Nitrum vel tartarus crudus addatur,de quorum ſalium additione jam judicium prolatum in diſſertatione de fœniculo. Reſpuimus & hic putrefactionem ſeminis præcedentem, antequam fiat deſtillatio. Peſſundat enim olea æthera ut oſtendit WEDELIUS in *Pharm. in art. form. redact. l.* 1. §. 1. *c.* 1. Optimum itaque erit cōmuni incedere methodo. ℞. Semin. Cumini contuſ. ℔j. Aqu. fontan. vel pluvial. ℔x. ſtent in digeſtione per aliquot dies, poſtea deſtilla per veſicam, & oleum poſtmodum ſeparetur ab aqua vel per tritorium vel per goſſypium. Circa uſum hujus olei tum externum, tum internum extollendum, prolixus admodum eſt CONRADUS KHUNRATH in *Med. deſt. & Med.* Vires autem hoc oleum cum ſuo vegetabili poſſidet cōmunes, ſed quia partes ſubtiliores à craſſiorum vinculis ſunt extricatæ, hinc penetrantius agere poterit. Recenſebo itaque jam illa, quæ à prædicto authore, & aliis, de hujus olei viribus conſcripta ſunt. Calefacit ob partes ſalinas volatiles atque ſulphureas, attenuat, digerit, diſcutit, exſiccat, aperit, atque expellit. Virtute præditum eſt Cephalica, doloribus capitis medetur, ſive ab æſtu ſive à frigore, Melancholia aut crapula, aliisve cauſis exortis, ſive etiam per conſenſum ex ventriculo ortum traxerint. Conducit in catarrhis, gravedine atque Coryza. Medetur vertigini, convenit in apoplexia & epilepſia tum curative tum præſervative. Memoriam confortat, internis ca-

 pitis

pitis læsionibus & narium ulceribus ſuccurrit, hæmorrhagiam narium ſedat, oculos reddit nitidos viſusque aciem conſervat. Tinnitum & ſuſurrum aurium abigit, auditumque juvat. Dentibus eſt amicum & anhelitus gratiam conciliat.

§. XXI.

In morbis pectoris inſignem quoque operam præſtat hoc oleum. Deobſtruit pulmones atque expurgat, expectorationem promovet. infarctui & apoſtematibus medetur. In aſthmate & reſpiratione difficili ſuppetias fert; prodeſt in tuſſi tam recenti quam inveterata. Cordi auxiliatur, illud roborat & ejus malis proſpicit, imprimis autem palpitationem profligat. Lactantibus nutricibus ſi Lac deficit, illud redire facit, & refarcit. Ardorem ſtomachi, quam ſodam appellant, compeſcit. Ructus, imprimis acidos, atque ſingultus curat. Sic HARTMANNUS in *prax. Chym.* docet, quod in ſingultu ſymptomatico oleum Cumini interne aliquot guttis præſtet. Nauſeam & vomitum coercet. Roborat & excalefacit Ventriculum, faſtidium ciborum removet & appetitum excitat, concoctionem promovet, flatus diſcutit, cruditates acidas & pituitoſas corrigit, & dolores imprimis cardialgicos demulcet, & Lypothymiis, à doloribus capitis & vertigini ex Ventriculo oriundis àdjumento exiſtit. Ob virtutem ſuam penetrantem & carminativam flatus in inteſtinis disjicit, alvumque ſimul apertam ſervat. In colica præſertim flatulenta egregie ſe gerit. Audiamus rurſus HARTMANNUM hac de re *in tract. de oleis Chym. deſtill.* hunc in modum diſſerentem. Contra colicam injiciatur prius enema comune, cui enemati incoquantur radices iridis florentiæ, & ſi enema effectum ſuum ſatis præſtitit, umbilicus oleo Cumini calide inungatur, dolores quam primum ſiſtit. Hoc autem imprimis hoc loco eſt obſervandum, olea hujusmodi ſine

noxa

noxa non posse usurpari, si corpus antea non fuerit purgatum: nec gravidis ultra granum est exhibendum. Nam & interno usu hoc in affectu cæteris paribus se comendat. ACHILLES GASSERUS *obscrv. Med.* 72. hæc tradit. Colica in matre mea Ursula Randeccia brevi persanata fuit vapore decocti mesenterii vitulini sede excepto, ventre toto probe contecto, & exhibitis olei Cymini guttulis aliquot ex vini optimi ℥j. emollita enim materia dura obstruente successit alvi dejectio copiosa, pituitosa, sudore dein dolor discussus est. In passione quoque cardiaca comendatur & interne & externe. Celebratur etiam multum in tympanitide. Basin constituit Olei carminativi, quod HADR. a MYNSICHT. in *Thes. & Armament. Med. Chym. sect.* 32. describit. ℞. Olei seminis Cymini ℥ß. ol. fœnic. anisi, carvi ana ʒj. ol. anethi: aurant. cham. ana ʒß. Msc. & ad usum repone. Medicamentum vere anodynum est. Discutit enim flatus. Hysteralgiam & omnes morbos ex ventositate ortos tollit. Tum quoque dolores pectoris, Ventriculi, Lienis, Intestinorum, Renum & Vesicæ lenit atque placat. Melancholiæ flatuosæ seu hypochondriacæ auxilio est. Dosis à gutt. iv. ad v. & vj. in vehiculis appropriatis.

§. XXII.

Ob vim diureticam conducit in stranguria, dysuria, & ischuria, ardorem enim compescit, urinam pellit, calculum promovet, & sabulum expurgat. Commendatur in obstructionibus Hepatis & doloribus ejusdem visceris a frigore præprimis productis. In anasarca, Ascite, aliisve a colluvie serosa ortis affectibus locum invenit, & dissipando & educendo aquas. Inservit quoque in variis Lienis malis, infarctu & inflatione. Utile etiam est vulneribus ad lienem pertinentibus, ut tradit ADRIANUS ZIEGLERUS in *Pharmacop. Spagyr.* Uterinum quoque censetur remedium egregium

gium. Laudatur in passionibus hystericis seu suffocatione matris. Uterum excalefacit, dolores ejusdem sopit, Colicam hystericam inhibet, menses, fœtum tum viventem tum demortuum & secundinas pellit. In maribus dicitur Priapismum & Satyriasmum tollere & gonorrhœam sedare. In suppressis hæmorrhoidibus fluxum rursus procurat.

§. XXIII.

Oleum Cumini in cachexia præsertim pituitosa prodest, sanguinem attenuat, purificat, ejusque motum reddit liberiorum. Sanguinem congrumatum a casu vel contusionibus resolvit & sæpe per urinam educit. In doloribus atque tumoribus internis quicquid fere tenax est incidit atque educit. A quibusdam deprædicatur in morsibus & puncturis animalium venenatorum, item in assumptis aliis venenis. Ne tempore hyberno quis à frigore lædatur, nonnulli suadent, ut singulis diebus de oleo Cumini & oleo Piper. in vino hauriatur. Dosis hujus olei est ad gttj. ad vj. & viij. pro ratione circumstatiarum. Hauriri potest vel in vino vel in spiritu vini, in aqua destillata propria, aut alia appropriata, item in decoctis, syrupis, aliisque vehiculis. Nihil obstat etiam, quo minus & ex hoc oleo destillato paretur Elæosaccharum Cumini, assumendo ad ℥j. Sacchari guttas vj. vel. viij.

§. XXIV.

Usus porro hujus olei externus quoque lustrandus venit. Capiti illinitur in catarrhis a frigore exortis, gravedine & coryza. Pro lubitu poterit addi oleum baccarum Lauri. Caput roborat & vertigini medetur. Dolores à causa, ut loquuntur, frigida contractos aut à casu & percussione ortos vertici inunctum demulcet. Prodest oculis lippitudine laborantibus, pruritum mitigat eorundem, & nitorem iis conciliat. Comiscent autem vel cum albumine ovi, vel pani recenti ex cli-

bano

bano extracto instillant, qui panis adhuc calidus oculis applicatur, qua ratione & maculæ oculorum delentur. Cum gossypio oculis applicatur ad sanguinem congrumatum dissolvendum, quo in casu nonnulli jungunt oleum rutæ. In Nyctalopia cum melle mixtum palpebris imponitur linteo inunctum. Faciem claram nitidamque reddit, & à pustulis atque sugillatis repurgat, cum melle illitum, aut cum saliva hominis jejuni usurpatum. Sanguinem congrumatum in auribus resolvit, tinnitum atque sibilum & susurrum curat instillatum. In hæmorrhagia narium aceto instillatur, qua mixtura deinde turunda imbuitur & naribus intruditur. Odontalgiam a defluxionibus dependentem solatur hoc oleum, vertici cum oleo baccarum Lauri affrictum. In tumoribus faucium collo illinitur. Raucedinem profligat, si eo cum oleo amygdalarum remixto pectus foveatur. In nimia lactis abundantia, item ne mammæ luxurient & pendulæ rursus rigeant, hujus olei usus externus deprehensus fuit proficuus.

§. XXV.

In stomachi affectibus celebris quoque existit applicatio hujus olei extrinsecus facta, dum ventriculo inunctum ructus, nauseam & vomitum arcet, ventriculum roborat, atque concoctionem promovet. In inflatione abdominis umbilico & abdomini illinitur. Colicam mulcet, vermes necat & expellit, præsertim cum felle taurino mixtum. Cardiacam infantum passionem expugnat, circa costas nothas illitum atque clysteribus permixtum. In hydrope præsertim tympanitide suo officio non destituitur. Sunt qui cum oleo ceræ, terebinthinæ & juniperi ad sanguinem congrumatum in abdomine resolvendum suadent. Moderate urinam, cui, teste Ettmüllero, odorem suum fortiter affricare solet, movet, hinc in stranguria & dysuria prodest. Ad sterilitatem deprædicatur, si sinus

eo foveatur; calefacit enim uterum, exterget, & sterilitatem corrigit; prodest in flatulentia uteri præsertim dolorosa, item in doloribus post partum. Comendatur ad nimium mensium fluxum, si vel pudendis inungatur, vel cum pessariis applicetur. Membra frigore læsa refocillat, & a quibusdam in podagra & tumentibus ab arthritide membris laudem suam mereri perhibetur. Testibus tumentibus cum aliis applicatur, præsertim si malum à flatibus ortum traxerit. Si febris tertiana urget, ventriculus & abdomen comodum ejus fotum & utilem persentiscunt.

§. XXVI.

Cum ex semine Anisi atque Fœniculi exprimatur oleum, eodem quoque modo ex Cumino obtineri poterit oleum, quod ad morbos supra dictos utique adhibere licebit. Valet autem & hic, quod de oleo anisi expresso dicit CHARAS in *Pharmac. Galen. l. 2. c. 1.* Oleum dicto modo præparatum minus purum esse, minusque penetrabile, quam id quod per destillationem extrahitur, sed minori acrimonia præditum est, ac majori quantitate exhibere id licet, imo ad drachmam usque integram ex vino, jusculo, liquore quopiam idoneo: ad illitus etiam usurpari potest, ventriculi, umbilici, abdominis, in colico dolore flatulento. Licet & guttas aliquot pulticulis infantum infundere, si tormina ventris illos infestaverint. Quodsi quis jam vel cum oleo expresso vel destillato Balsamum sulphuris conficere voluerit, ille non opus habet, quam ut flores sulphuris bene digerat cum hoc oleo. Sunt qui extractum ex semine Cumini parant, quod ADAM. ZIEGLERUS *Tigurinus* in *Pharmacop. Spagyr.* hisce commendat verbis. Extractio seminis Cumini colicis doloribus convenit, urinæ stillicidium impedit: dosis à gr. 3. ad 16. ab extra umbilico imponitur in doloribus colicis & matricis. Dubitatur autem non omni abs ratione

de

de virtutibus hujus extracti, ſicuti quoque ſal Cumini per incinerationem & cryſtalliſationem paratum nihil peculiare obtinere videtur.

§. XXVII.

Proſtabant olim in officinis Pharmacevticis ſpecies; quæ variis ſolebant confici modis. Juxta MESUEN ſequenti conficiebatur modo Diacuminum. ℞. Cumini pridie aceto macerati & exſiccati drachmas viginti, Zingiberis, Thymi ana ℥iij. Piperis, Cinamomi ana ℥ij. Ammeos ℥iß. foliorum Rutæ ſiccatorum modice, nam pluſculum ſiccata excrementoſa ſunt, Baurach rubei (per quod intelligitur Nitri ſpuma) ana ℥j. f. pulvis, qui cum melle deſpumato facile in Electuarium conficitur. In DISPENSAT. AUGUST. hocce præſcribitur Diacuminum Nicolai. ℞. Cumini prius per diem naturalem in aceto infuſi & rurſus exſiccati unciam unam, ſcrupulum unum, Cinamomi, Caryophyllorum ana drachmas tres, cum ſcrupulis duobus Galangæ Thymbræ ſ. Sauturejæ, Calaminthæ, Zingiberis, Piperis nigri ana drachmam, ſcrupulos duos; Ammeos, Liguſtri ana drachmam unam. ſcrupulum unum, grana ſex, Piperis longi drachmam unam, Spicæ, Nucis moſchatæ, Cardamomi ana ſcrupulos duos ſemis. Thoracis præcordiorum ventriculi & viſcerum imbellicitati à frigida cauſa natæ, ac oxyregmiæ opitulatur, ſtomachicis convenit, inteſtinorum flatus diſſipat, hypochondriorum diſtentionem à nimia cruditate & flatibus profectam aufert, viſcera calefacit & concoctionem mire juvat; arteriacis itidem, difficultati ſpirandi, & tuſſi ex frigidis craſſisque humoribus ortæ auxilio eſt, nec non inflatis, colicis & quartanariis plurimum prodeſt.

§. XXVIII.

De modo dicto autem Diacumino non admodum magnificum judicium fert ZWELFERUS in *Anim.*

 Pharmac.

Pharmac. August. Præparatio ſeminis Cumini pro Diacumino Nicolai plane deſtructoria eſt & illegitima, cum nullius veneni, aut alterius qualitatis nocivæ, correctione indigentis, particeps ſit; utuntur enim illo frequentiſſime plurimis in locis, inque ſatis larga quantitate, in cibis, juſculis potiſſimum, aliisque eduliis, ita per ſe nulloque aceto caſtigato, ſed integra ejus virtute vigente. Quid enim præſtare poteſt, illa deſtitutum, præſertim ſi in tam exigua quantitate, uti ſolet, propinetur. ZWELFERO prolixe reſpondet LUCAS SCHROECKIUS in *Pharmacop. Auguſt. reſtit.* his verbis. Seminis Cymini cum aceto pro Diacymino Nicolai præparationem plane deſtructoriam appellat, & illegitimam, cum nullius veneni aut alterius qualitatis nocivæ, correctione indigentis particeps ſit, ejus autem non præparati frequens uſus in cibis condiendis exiſtat. Unde nihil præſtare putat, quia virtute carminativa deſtituitur, præſertim in exigua doſi, qua in medicamentis illis propinatur. Quæ conſequentia? Cyminum nullius venenatæ vel nocivæ qualitatis particeps eſt; Ergo cum aceto male præparatur. Non ſolum res illæ præparationi deſtinantur, quæ venenum vel aliud quid nocivum in ſe continent: ſed & multæ aliæ. Sic DAN. SENNERT. *Inſtit. Med. l. 5. p. 3. ſ. 2. c. 9.* macerationem fieri ſtatuit; ut 1. vis Medicamenti extrahatur; 2. nonnullorum malignitas corrigatur. 3. Vis Medicamenti intendatur, prout radices aperientes aceto macerantur, ut vis incidendi augeatur; 4. dura emolliantur, atque ad coctionem præparentur. Sic bolos vel terras medicinales cum rore majali, decoctis nonnullis &c. imbuere & exſiccare ipſe ZWELFERUS præcipit, non pro nociva qualitate ipſis adimenda, ſed ut majoribus virtutibus imprægnet. Auguſtani autem cauſam illius cum aceto macerationis

cum

cum non adſignent , illam nocivæ alicujus qualitatis correctionem tam audacter pro vera venditare , haud decuit; quanquam ob tertium , à SENNERTO poſitum ſcopum eam fieri credibile ſit. Iſtam vero cum aceto maceratione vim Cymini carminativam deſtrui, ZWELFERUS minime probat. Si ab aceti ſubſtantia hoc deducit ; libenter modum , quo acetum hoc præſtare queat, ſcirem. Si ob inſequentem macerati Cymini exſiccationem, aliquam virtutis carminativæ partem in aërem abire, equidem concedo ; aſt omnem plane deſtrui pernego. Sin acetum, quo Cuminum maceratur effundi & ſeparari, ac cum eo vim quoque carminativam objici exiſtimat, fallitur, dum Cuminum una cum aceto exſiccatur. Neque etiam tanta aceti quantitas ſumitur, modicum enim ejus ſufficit. Ubi SENNERTI *d. l.* de liquoris ad macerationem adhibendi menſura ſententiam notare decet, dum magnam rerum infundendarum diverſitatem, nec ſcopum ſemper eundem eſſe pronunciat. Licet in condiendis cibis Cymini non præparati uſus ſit, propterea tamen pro ejus uſu medico præparari non poſſe , nemo concludat. Qui tamen Cyminum non præparatum dictis quoque ſpeciebus, loco præparati, addi poſſe exiſtimant, illis litem non movebo, Quodſi mihi Tyroni hac in re aliquid decidere liceat, aſſerere audeo, utrumque celeberrimorum horum authorum non omnino iniqua dicere , & utriusque ſententiam cæteris paribus locum habere poſſe, cum uno in caſu major, in altero refrænata deſideretur virtus carminativa.

§. XXIX.

JOH. JAC. WECKERUS in *antid. ſpec. l. 2. ſ. 21. de elect. calef.* unum nobis adhuc ſuppeditat electuarium de cumino. ℞. Cymini pridie in aceto macerati, deinde ſiccati ʒx. Zingiberis, Cinamomi ana ℥ß. Caryophyllorum, Ligni Aloes, Macis ana ʒiiß. Galangæ, Pi-

peris longi, Cardamomi ana ℥ij. Moschi ℈ß. Mellis despumati quantum sufficit. Fiat electuarium forma convenienti. Conservatur annis duobus. Ventriculum & viscera reliqua calefacit: concoctionem juvat, flatus in dictis visceribus natos dissipat. Ex his aliisque speciebus Diacymini parabantur tabulæ quoque Diacymini. Sic allegatus AUTHOR sequentes præscribit. ℞. Spec. Diacymini ℥ß. vel ʒvj. Sacchar. alb. in aqu. fœnic. dissolut. ℔ß. fiant tabulæ. Noxam ventriculi corrigunt: tussiculosis, difficultati spirandi, inflationibus sunt adjumento. ADR. MYNSICHT in *Thes. & Armament. Med. Chym.* S. 8. hasce annotat rotulas Diacymini compositas. ℞. Spec. Diacym. Dianis: ana ℥ß. Diamosch. dulc. Diambræ ana ʒj. Balsam. Sulph. anis: Oleo fœnic. ana ℈j. ol. Aurant: ol. Mac. ana ℈ß. Sacchar. albiss. in aqu. Bened. Serp. nostr. dissolut. ℥xvj. Msc. & f. l. a. confectio in rotulis. Intestinorum flatus potentissime dissipant, & prosunt ad omnes frigidos affectus. Cephalicis, Vertiginosis, Stomachicis, Tussientibus, Asthmaticis, Cardiacis, Jecinorosis, Lienosis, Inflatis, Colicis, Quartanariis & senibus mirifice succurrunt. Concoctionem juvant. Cachexiam emendant, & Hypochondriorum distentionem saluberrime liberant. De quibus æger unam atque alteram ad lubitum sumat.

§. XXX.

Superest, ut etiam sermonem faciamus tantopere decantati emplastri de Cumino, quod sequenti paratur modo. ℞. Seminis Cumini, Baccarum Lauri, Ceræ citrinæ ana libram unam, Resinæ Pini libras duas, Resinæ communis libras tres, olei anethi quantum satis, sive libram semis. f. l. a. emplastrum. Roborat, resolvit, flatus discutit, conducit ad fracturas & luxationes. Quid in contusionibus possit, declarat observatio à SIMEONE JACOBO communicata LAZARO RIVESIO *Observ.* 18. quæ ita se habet. Dux quidam milites

con-

conducens primo mensis Maji 1645. è summis scalis cecidit in subjectum dolium, vulnusque contusum accepit in dextro latere, ad costas nothas, ita ut multo sanguine circa illas partes effuso perpetuus dolor, isque sævissimus cruciaret ægrotantem, qui vix ac ne vix quidem sese movere, nec loqui, nec spirare, nec tussire posset, quin statim ingentes clamores ederet. Vocatus ego venam subito aperiri jubeo ex eodem latere, & emplastrum de Cumino apponi partibus dolentibus, quo per duodecim horas gestato, & semel renovato, dolor valde imminutus est, lividus partis color disparuit, melius spiravit, ac sequenti die è lecto surgere cœpit, sicque post alterum diem discessit. Confirmatur talis hujus emplastri virtus ulterius per id quod observavit ipse RIVERIUS & continetur *Cent.* 3. *Obs.* 19. Sacerdos Septuagenarius, constanti virium robore præditus, vulnus contusum accepit in superiori humeri parte, à fuste inflictum, unde dolor acerbus eum cruciabat, & pars livida admodum apparebat. Illi statim secta fuit vena & admotum emplastrum de Cumino, postridie exhibitum blandum catharticum. Perseverabat dolor, qua de causa oleo ceræ pars affecta inuncta est calide frequenter desuper admoto prædicto emplastro, sicque intra 24. horas dolor omnis sublatus est, & pristinus color parti restitutus. Et hæc de Cumino ejusque viribus dicta sufficiant. DEUM TER OPTIMUM MAXIMUM supplex precor, velit studiis meis & in posterum ita benedicere, ut omnia cedant in Ter Sancti sui Nominis gloriam, proximi salutem. Cui Summo Archiatro immortales in seculorum secula grates devotus persolvo.

T A N T U M.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Maximam plantarum partem, quas flore atque ſemine carere exiſtimabant veteres, utrisque inſtructam eſſe, à modernis hodie evictum, & ad oculum demonſtratum eſt.

II.

Omnis planta vel eſt mas, vel fœmina, vel Hermaphroditus.

III.

Pulverem iſtum genitalem, ſulphurei coloris, quem apices florum fundunt, propagationi plantarum inſervire, rationi conſentaneum videtur.

IV.

Neque ex loco natali, neque ex colore, ſignaturis, odore, ſapore, atque ipſo caractere firmum ſatis judicium ſumi poteſt virium plantarum, niſi experientia conjungatur.

V.

Varii generis morbis plantas eſſe ſubjectas, extra dubitationis aleam poſitum eſt.

VI.

Botanica, quatenus ſpectat Medicinam, non Pharmacevtices modo, ſed & Therapevtices, nobilior pars merito appellatur.

Heut

Heut kan die kluge Welt aus Deinen Schrifften lesen
Wie fleißig/ Werthester/ Du biß anher gewesen.
Deßwegen nimm dann auch / mit wohlgeneigtem Sinn
Den Freundschafft vollen Wunsch von Deinem Diener hin.
Es wird Apollo Dich auf höhre Stuffen führen
Und mit dem DOCTORS Hut Dein Edles Haupt beziehren.
Ja wann wir unsre Reiß vergnügt zurück gelegt/
Wird aus der Schönen Schaar/ so unser Straßburg hegt/
Ein Tugendvolles Kind an Deiner Seite wohnen
Und Deine Müh und Fleiß mit treuer Liebe lohnen.

Dieses wenige wolte Seinem Werthgeschätzten Freund gratulirend beysetzen und sich dessen angenehmen Freundschafft ferners recomendiren / dessen allezeit ergebenster Diener und Freund

J. Bœcler M. C. E. Opp.

Ihn grosses Wort-Gepräng und hohes
Reimen-Tichten/
Will ich heut meinen Sin auf treue Zeilen
richten:
Der Höchste segne Dich und den Gelehr-
ten Geist/
Der Dich Geliebter Freund fast zu den
Sternen reißt/
So bleibest Du beglückt wie auch Dein
Unterfangen/
Und was man Dir gewünscht das wirst
Du bald erlangen.

Mit diesem wenigen wolte Seinem Werthen
Freund aufwarten
J. G. Salzmann M. C. Opp.

Wer Weißheits Blumen bricht/ und ihre
Krafft erkennet
Wer den Apollo hält auf seinem Helicon
Und wer Machaon gleich nach Wissenschafften
rennet/
Dem grünet um die Schläff zuletzt die
Lorbeer-Kron.
Wie Du/ mein Werther Freund/ Parnassus
Ehren-Hügel
Erkletterst: zeigt Dein Fleiß / den hie
das Aug erblickt:

Der

Der Höchste segne Dich. Diß ist der Freund-
schafft Siegel/
So eine treue Hand zu guter letzt hin-
drückt.
Hiemit wolte dem Herrn Licent. als seinem
werthgeschätzten Freund aufrichtigst gratu-
liren dessen Ergebenster
J. F. Breyer. M. C. Franc. Oppon.

Du zeigst geehrter Freund uns wieder neue pro-
ben
Von Deinem Hohen Geist und unermüthem Fleiß/
Du bist mit allem Recht als Ehren-Mann zu lo-
ben/
Weil Momus selbst an Dir / nichts als zu rühmen
weiß
Du eiletest ja kaum von Themis Weißheits Schulen
So schwung Dein hoher Geist sich schon zum
Musen Thron
Da andre noch gedacht um Phœbi Kunst zu buhlen
So trugst Du schon den Preiß von Pallas Hand
davon/
So laß Dich ferner hin Minervens Lehren führen/
Halt Æsculapens Kunst mit Recht-und steiffen
Muth
So wird Dich Phœbus selbst mit Ehr und Würde
zieren
Wann er Dich krönen wird mit einem DOCTORS
Huth.
Gesetzt von einem aus der Zahl der guten
Freunde
J. G. Pfæhler M. C. Opp.

Betritt Geliebter Freund anheut die Lehrers Stuffen/
Wohin die Weißheit Dich als ihren Sohn beruffen/
Zeig der gelehrten Welt was Du bißher studirt/
Wie Du den mundern Geist in Feld und Wald geführt/
Des Grossen Schöpffers Macht in Kräutern zu ergründen/
Auch derer Eigenschafft/ Krafft/ Safft und Werth zu finden/
Da Du die Tugenden derselben trefflich weißt/
So daß Dich jederman ob solcher Lehre preißt.
Noch dieses ist genug von den gelehrten Proben
Die Du schon abgelegt/auch mehrers muß Dich lobē/
Nicht nur ein jederman/ja selbst die Medicin
Lobt Deinen mundern Fleiß und den gelehrten Sinn;
Deßwegen sie Dir will den DOCTORS-Huth aufsetzen/
Daß sich die Krancken bald an Deinem Rath ergötzen/
Und Deine Wissenschafft das Leben wieder gibt/
So bleibt Dein Müh und Fleiß durch alle Welt beliebt.

Dieses setzet des Herrn Licent. ergebenster Freund und Diener
J. Weigen M. Stud.